DISPUTATIO JURIDICA DE ADQUIRENDA VEL AMITTENDA POSSESSIONE QUAM S.S. ET PROPITIAE...

Valentin Riemer, Johann Christoph Meurer



V I R I S.

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis Prudentissimis

Dn. VINCENTIO MOLLERO J.U.L. } Inclutæ Reip. patriæ
Dn. HIERONYMO VOGLERO } Hamburgensis Coss.
Dn. SEBASTIAO à BERGEN J.U.L } laudatiss. meritiss.

Dn. VINCENTIO MOLLERO, JCto eximio, florentissimæ ejusdem Civitatis SYNDICO spectatissimo, illustrissimo itidem ac Celsissimo Schlesvici, Holsatiæ, &c. Duci à Consiliis, secretissimo.

PATRIÆ PATRIBUS

Ut &

Amplissimis, Consultissimis, Experientissimis, Reverendis, Integerrimis.

Dn. UDALRICO BODECERO PHIL. & J.U.D. Practico insigni, nec non Reverendi Capituli Hamopolitani SYNDICO dignissimo.

Dn. STEPHANO à SCHÖNEFELDT MED. D. Serenissimi Holsatiæ Principis, laudatissimæ memoriæ, Exarchiatro emeritissimo.

Dn. M. HEINRICO RUMPIO, Ecclesiæ ad D. JOHANNIS Pastori vigilantissimo, ibidemque Gymnasii Illustris Professori SS. Lingvæ Clarissimo.

Dn. GEORGIO ROSÆ NOTAR. Publ. & rei Molendinariæ Archigrammateo fidelissimo, de Rep. patria optime demerito, emerito.

Dominis meis Patronis, Cognatis, Affinibus, Promotoribus devoto observantiæ clientelaris cultu ætatem venerandis

Has studiorum primitias
In debitæ observantiæ indicium, mei studiorumq; commendationem observantissima submissione consecro

Johannes Christophorus Meurer
Autor - Respondens.

SUMMO JOVE AUSPICE.

DISPUTATIO

De adquirenda vel amittenda possessione.

PRÆLIMINARE.

PRæfationes etsi libentiùs nos ad lectionem propositæ materiæ perducant, & cum ibi venerimus, evidentiorem præstent intellectum *l. 1. in fin. ff. de orig. jur.* Attamen Possessionis materia verbosa, ut arbitror, non eget commendatione: Cum quod ipsa variè distracta satis & spaciose, & [illegible]endit: tum, quod angustia harum non patitur pagellarum. De difficultate non meum, sed aliorum juris peritiorum esto judicium. Zasius *in pr. ad hunc tit.* Difficilis, inquit, & perplexa juris pars est, & necessaria, ut sine hujus cognitione, nemo sibi cognitionem juris asserere ausit. Fatetur de se Petrus Mindanus *in suâ Possess. synopsi*, quod hæc materia, cum se, tum alios hæsitantes atque anxios detinuerit, ut nescierit sæpe, an etiam ejus doctrina perfectè & dilucidè explicari possit. Duarenus in præfat. *ad hunc tit.* testatur, illum juris partem obscurissimam continere, in qua mira deprehendatur subtilitas.

Dn. Mostelius in *disp. quadam inaugurali*: tàm rebus, quàm verbis inest ardua perplexitas, ita, ut post 1000. annos nascituro, aliquid adjiciendi non præcludatur occasio, utut etiam doctissimi quique in augustissimam hanc materiam commentati sint. 380

Petrus Hegenitius, ut traditorum habeat latibulum in tractatu suo *Method. de poss.* blandus sibi admodum de his adfert difficultatum & errorum in hac materia causas, quarum pleræque cum ipsos etiam Jctos, optimè de jure nostro merentos, audacter satis vellicent & inscitiæ arguant, nobis, tanquam universi juris everticula neutiquam videnter probabiles,

Illud intrepidè asserere ausim, resultasse hunc labyrinthum, partim ex nimiâ ipsius rei subtilitate: partim ex veterum etiam JCtorum invicem dissidio, cujus vestigia extant in multis adhuc juris capitibus *l. 1. §. ult. & 5. §. 14. §. 16. & 3 | 2. l. 3. §. ex contrario 5. §. Neratius 3. l. 34. ff. h. t.*

Nutriit hanc sobolem interpretum posteriorum affectata semper dissensio, fovit indefessa & studiosa scripturientium contradicendi libido, quæ sæpè etiam vel nimio amore sui, vel obstinatâ pervicaciâ abortum fecit, aut monstra enixa est: secundum illud, ubi plus lingvæ, ibi minus cordis esse solet.

Usus ejus frequens & necessarius, ut de Gallia testatur hic Duarenus, & de Italia Menochius, & de Germanis nostris fatebitur quilibet, in foro vel mediocriter saltem versatus, versari hanc assiduè in curiis, & frequentari non infructuosè in tribunalibus: unde illud Accursii effatum: *Aurea possessio.* Accedit insuper, teste Mindano, quod in omnes ferè juris controversias incidat, & pleræque materiæ difficiles, in hac velut fundamine conspiratè concentrare videamus. Ignoratis autem principiis, non possunt non ignorari principiata.

Hoc mecum dudum reputans, non abs re fore tandem duxi, si & ego, licet ingenio longè inferior, fabricam hanc & amplitudine speciosâ commendabilem, & autoritate Luminum clarissimorum conspicuam, & subtilitate exuberantem, atque adeò pulcritudine sui præstantem, & forensi denique militiæ accommodatam, & cognitione utilem, quantum cum Deo, pro angustiis ingenii possessionibus, & privatâ industriâ ex scaturienti jurisprudentiæ ipsius penu haurire

haurire licuit, ad ſtructilem formam erigerem, & limatiorem collationis incudem revocarem.

Theſis I.

Caput & baſis cujusque rei teſte Tullio *lib. 1. off. &* omnis methodicæ diſputationis eſt, ceu fundamentum quoddam rei definitio: à quâ auſpicari methodi quoque ſanior exigit ratio, quæ eſt, ut à ſimplicioribus ad compoſita, ad univerſalibus ad ſpecialia gradatim tranſeamus.

2. Ad definitionem autem antequam fiat aditus, ne quid nobis difficultatis, aut obſcuritatis objiciat non animadverſa nominis æquivocatio, aut ignorata originatio, ſatius erit de verbo poſſeſſionis πολύσημῳ, & ἔτυμῳ paucula prælibare.

3. Nomen ſi ſpectemus, non una eſt ubique poſſeſſionis ſignificatio. 1. Dicitur enim poſſeſſio apprehenſio, unde naturalis poſſeſſio pro actuali ſeu corporali apprehenſione ſumitur *in l. 3. §. Neratius 3. & §. Nerva filius. item l. 1. §. 1. ff. h. t.* 2. Poſſeſſio appellatur pro uſucapione, quo ſenſu à JCto Papiniano *in l. denique 19. ff. Ex quib. cauſ. maj.* metonymicè dictum accipimus: & ibidem ab Ulpi[illegible] 3. Poſſeſſio ſæpè pro ipſarum rerum proprietate & ſubſtantia accipitur, præſertim immobilium *l. 78. ff. de V. S. l. 66. §. pen. l. 87. §. 4. ff. de leg. 2. l. ſi de vi 37. ff. de judic. l. imperatores 17. ff. de ſervit ruſt. præd. l. pen. § 2. ff. qui ſatisd. cog. l. 11. ff. de evict. l. 3 ff de var. & extraord. cog.* Diſſent. Hegenit. *in ſynopſ. poſſ. lib. 1. c. 1. n. 21.* 4. Poſſeſſio dicitur uſus *in l. 115. ff. de V. S.* 5. Sumitur pro nudo detentationis facto, animo & jure ſibi habendi deſtituto, *in l. officium 9. ff d. R. V. l. is cui 5. in pr. §. 1. & 2. ff. Ut in poſſ. leg. l. 7. §. 11. ff. comm. divid. l. 3. §. ult. ff. h. t.*

4. Denique frequentius & magis propriè accipitur poſſeſſio pro quadam inſiſtentia *l. 1. in pr. & fere toto h. t.* corporis & animi adminiculo concurrente *l. qui bona fide 19. §. 1. ff. h. t.* Et huic ſignificatui noviſſimo, utpote magis proprio, quoties indefinitè non additâ taxativâ particulâ, occurrit, ſemper inhæremus. *argumento l. non aliter ff. de leg. 3.* niſi vel 381

evidens ratio, vel aperta mens legislatoris diversum subindicet. *argumento l. 17. ff. de ll.* In qua varietate accuratè secernenda homini studioso discreti judicii cautio erit adhibenda. Sin secus, miserabilis orietur omnium rerum confusio, rationis hallucinatio, cognitionis inextricabilis perturbatio.

5. Etymon voculæ scrutantibus, statim sese offert Antistius Labeo, optimus omnium originum rationumque indagator, teste Gellio *lib.2.c.10.* & plurimis JCtorum responsis *l.1 §. dolum malum ff.de dol.mal.l.1.ff.de furt.l.rei appellatio § 1.l.ostentum l.locus §.1. l.apud Labeonem l.Labeo l.malum § 1.ff.de V.S.l. Labeo ff.de supp.leg.* & hunc sequutus Paulus *in l. 1. in pr. ff h. t.* possessionem à sedibus quasi positionem sedis appellatam docet: verâ & concinnâ notatione, quam etiam Germani nostro corroboramus idiomate, dum nobis possessio dicitur Eine besitzung. Inibi igitur lectionem Florentinam tuebimur cum Bart. Jason. cæterisque in *d. l. 2.* Ratio etymologiæ consistit in primâ & antiquissima possessionis adquisitione, modò maximè naturali, quæ elici potest ex *d.l.1.§. 1.ff.b.t.*

6. Ut reprehensionem meritò non effugiant Longobardi, qui haud necessaria conjectura ducti, rectam & authenticam lectionem immutarunt, & emendare volentes depravarunt sic. *Possessio appellata est à pedibus*, ut legunt sequuti vulgati codices.

7. Nec JCto Labeoni, Alciatum aliosve Grammatistas præferimus, qui plausibiliter sibi student derivare, à posse & sedere. Alciat. *lib.1.parerg.c 1.* Hegenit. in tract. poss. quamvis non sit omninò improbabilis allusio. Donell. *5. comm. 6.* & referente Æmilio Ferreto *in d l.1.n.3.* imaginem quandam etymologię tantum habeat. Labeonis tamen & rei significantior, & probabilior, quod magis voluerint denominare ab ipso facto, quam potestate & jure argumento *l.1.§.1.& §3 ff.b.t.* Ant. Contius *lib.1.disp.c.9.*

8. Nec est quod quis ociosè miretur cum Accursio, cur potius à sessione, quàm statione sit facta denominatio, aut cur non etiam ab alia corporis parte, si vel originem inspiciat, & homines jure naturali, quo omnia quibusvis patebant, vene-

ditor 13. ff. com. præd. sedis in re vacanti positione solitos fuisse quærere possessionem, & ex possessione dominium. *d. l. 1. §. 1. hic. & argumento l. 3. §. ex contrario ff. eod.* vid. thes. 67. infra vel cum Cujacio *C. in paratit.* hic. sessionem interpreter, sive stationem sive qualemcunque detentionem vel incubationem. argumento. *d. l. 3.*

9. Nec est quod quis argutetur cum Jasone in *d. l. 1. h. t.* possessionem potius ab animo, utpote nobiliore & principe hominis parte, appellationem sortiri debere, vel, si initium, quod ducitur à corpore in possessione adquirenda inspexerit *l. 3. §. Neratius ff. h. t.* vel sedis positionem accipiat cum animo connexam, quod illa absque hoc nihil possit.

10. Plus satis de nominis definitione. Rei definitio, quo altiorem desiderat indaginem : eò plus nobis in re penè inextricabili negocii facessit, difficultatisque objicit, ortæ exinde, partim quod nullæ, partim quod multæ nimium, & hæ neutiquam sibi concordantes extent.

11. Nulla enim, teste Contio *disp. lib. 1. c. 9.* juris interprete acutissimo & doctissimo (sic n. hunc appellitat Cujacius *noster 3. obs. c. 36.*) toto jure à JCto ullo extat possessionis definitio, imò nec ausos fuisse definire scribit Accursius *in l. stipulatio §. hæc quoq; ff. de V. O.* quæ res brevissima prætermissa, infinitam prope Glossographis garrulitatis ansam præbuit.

12. Et tamen non minus multæ ab interpretibus coagulatæ extant, quàm multi de possessione scripserint, neq; minus multæ rejectæ, quàm editæ, & sicut omnis in jure definitio periculosa est *l. 202. ff. de R. J.* ita & parum est, quin hæ quoque subverti possint, partim quod invicem, partim quod secum pugnent, Quæ res animum legentis in diversas partes modò, hoc modò illuc variè distrahit, & anxiè fatigat, & penè desperabundum facit.

13. Et tamen res ipsa loquitur, rerum definitionibus vel omninò non cognitis, vel falsis aut imperfectis positis, omnia, deinde quæ superstruuntur, vel omninò ruere, hoc est, falsa esse, vel vacillare, hoc est, imperfecta & dubitabunda esse. 382 Cic. *lib. 1. offic.* Rudolph. Agric. *lib. 1. de invent.* Atq; adeò in re methodicè tractandâ, & exactè cognoscendâ, silentio eam præterire, religio est.

14. Aliter

14. Aliter verò definit Jacob. de Aret. & Jacob. de Revenn. quæ rectè *in l. 1. n. 6.* refutatæ sunt à Bartolo, quod non tàm substantiam, quàm Originem, aut cum origine substantiam explicent: aliter etiam ipse Bartolus ibidem, sed & ipse malè definit, ut infra *thes. 25. & seqq.* testatum faciemus.

15. Diversimodè ab his secedunt Theophilus, optimus institutionum paraphrastes *in tit. Inst. per quas pers. nob. adq. & in tit. de interdict.* Donellus *5. comm. 6.* Item Treutlerus *disp. 21. vol. 2. thes. 1.* Sed angustiores hæ sunt omnes, quàm ut possessioni in genere convenire possint, imò uni tantum speciei competunt pleræque, nempe civili, atque adeò meritò ab his quoque secessionem facimus.

16. Aliter Cujacius *C. in parat.* hic, putat non posse dari meliorem definitionem, quàm ex Ælio Gallo retulit Festus. Possessio est usus quidam agri vel ædificii *l. quæstio 115. ff. de V. S.* quem rectè reprehendit Duarenus: nec enim possessio est usus, sed separatur evidenter ab usu *in l. 1. §. ult. & in l. pen. in pr. ff. h. t.* nec est tantum rerum soli, sed etiam mobilium possessio, ut apertè probat. *l. 3. §. 13. ff. h. t.* Imò Javolenum *in d. l. quæstio.* non tàm quid in genere sit possessio, quàm quid ea ab agro distaret, docere voluisse palam est, quod pace tanti Viri dictum velim.

17. His velut obstaculis præcisis, tres insigniores, & communiori calculo ab interpp. receptas celebrari video. Duæ sunt Azonis quas in glossa refert Accursius: Priorem Azonis non moramur, quoniam & genus, & quod loco debebat esse differentiæ à possessionis natura alienum est: & ipsi etiam autori displicuit, referente Glossâ *in l. 1. ff. h. t.*

18. Altera ejusdem Azonis paulò accommodatior, sed prolixior & obscurior definitio indicatur à Glossa eodem loco, ut sit possessio rei corporalis retentio corporis & animi, juris adminiculo concurrente.

19. Quæ definitio extimè speciosa potius, quàm vera intimè pensitata apparet. Præterquam enim quod sit tautologa, verbum illud, retentionis, loco generis positum, non

non aptum aut efficax est exprimere naturam possessionis, hoc est, possessio non ab adquisitionis vel retentionis actu extrinseco, sed ex natura sua intrinsecâ definiri debet. Vacon. à Vacun. *declar.lib.2.declar.32.n.1.* nisi velis retentionem impropriare pro detentione: sed nec tum à noxa vindicatur.

20. Rectius & concinnius his omnibus Johannes vetustissimus Glossator, qui primus hanc rem aggressus fuisse videtur, finit possessionem, jus quoddam rem sibi detinendi, quam Bartolus & alii tribus argumentis vitiosam esse contendunt, quibus tamen occurrere haud est difficile nobis.

21. Aliorum itaque definitionibus partim rejectis, partim prætereitis Johannis definitionem utpote ἐγγιώδη & appositam nostram facimus, paucis, lucis evidentioris gratia additis vel immutatis, ut sit in genere possessio detentio rei corporalis, vacuæ, certæ, & in commercio existentis, cum animo sibi habendi. Ita ferè Wesenbec. *in parat. hic. n. 2.*

22. Definitio hæc omni possessionis speciei conveniens adeoque generalissima est, in qua generis locum rectè obtinet detentio *l. 1. in pr. ff. h. t. l. possideri 3. §. 5. ff. ead.* in quo plerique omnes etiam consentiunt, quod displicet Vaudo *lib. 1. quæst 3.* cui tamen in ipso conflictu satisfaciemus.

23. Græci hanc detentionem vocant *κατοχὴν. d. l. 1.* Theophilus in §. *possidere Inst. de interd.* Imperator incubationem *l. fin. C. ne rei dom. vel sac.* detentionem autem hic accipimus non nudum factum insistentiæ, sed juris adminiculo concurrente, ita tamen ut factum in ea prædominetur, hoc est, plus facti, quàm juris contineat. *l. 49. ff. h. t. l. denique 19. ff. ex quib. causis maj. l. 1. §. 3. ff. h. t.* & non tantum corporis sit hæc incubatio, sed etiam animi, ut eleganter ait Marcellus in *l. qui bona 19. §. ult. ff. h. t.*

24. Cujus effectus est in *l. 3. §. Neratius ff. h. t.* licet enim quis thesaurum velit esse suum, nisi tamen antecedat actualis apprehensio, ut teneat, non possidetur. Item ex eo apparet possessionē & dominium rei toto genere differre atq;

adeo nihil inter se commune habere, *l. 12. §. 1. ff. h. t. l. 52 ff. eod.* puta ratione generis & differentiæ, sive formæ. Interim multa tamen communia habent ratione accidentium, ratione adquisitionis & tuendi juris *l 8. C. h t.*

25. Bartoli itaque nec sequacium definitio vitio omnino caret, qui absolutè possessionem definiunt per jus, cum ex mente Bartoli omne factum ab eo excludatur.

26. Nec, quicquam Bartoli definitionem colorat fucus ille considerantis possessionem, prout est in fieri, & in esse producta. Illo modo, inquit meri est facti: posteriori, sive prout est adquisita, juris. Definiri a. debet, prout est in esse producta.

27. Multò v. rectius Alciatus ad *l. quæstio 115 ff. de V. S.* summè, scribit, ridiculi videntur, qui inter adquisitionem, retentionem amissionemq; possessionis distinguunt, cum hi actus manifestè ab ipsa possessione non differant, sicut nec vita, mors, procreatio hominis ab homine differunt, nec qui nascendo homo fuit moriendo est asinus. Quapropter si cum possessio adquiritur, facti est, & adquisitam & amissam consequens est esse facti. Nulla n. est possessio, si ita loqui licebit, in fieri, &c. quæ non sit in esse producta, & hæc tamen facti est, ut superius demonstratum est, & insuper probatur per *l. cum heredes 23. ff h. t. & l. bonæ fidei emptor. 48. §. 1. ff. de adq. rer. dom.* Vacon. à Vacun. *2. declar. 32. in pr.*

28. Nec assentior per omnia Rolando à Valle *consil. 29. n. 28. tom. 1.* ubi scribit, possessionem facti esse, si plurimum facti habeat: juris a. si plurimum juris habeat: quum non in hypothesi, sed in thesi & in genere possessio facti & juris sit. *l. 1. §. 2 ff. h. t.* Illud tamen negari nequit, eum qui jure civili possidet, plus juris habere, quàm is, qui nullo jure possessionem apprehendit. *l. si eum qui 26 in pr. ff. de don. int. vir. & ux. l. non videtur 22. ff. h. t. & argumento l. fin. ff. h t.*

29. Et ociosum itaq; est & ridiculum quærere, in quo se tamen adeò macerant interpretes, utrum possessio sit facti vel juris, cum de utroq;, non tamen æqualiter participare hactenus evictū sit, & rationes evidentissimæ luculenter probent.

Posses-

30. Possessio est rei corporalis *l. 3. in pr. ff. h. t.* Incorporalia enim non verè & propriè, sed quasi possidentur *l. 4. §. 27. ff. de usucap. & usuc.* hoc est, usus earum pro possessione cedit. *l. 4. ff. de servit.* & jura cum corporib. quorum accidentia sunt adquiruntur. *l. si aliena res 10. §. hoc jure ff. de usucap.* Ratio est, quia natura rerum incorporalium impedimento est, quo minus possideri possint. Est enim possessio detentio, insistentia, apprehensio: detineri a. vel apprehendi res incorporales non possunt, cum magis intellectu, quàm sensu percipiantur.

31. Vacuam esse debere constat ex *l. 33. & l. 34. ff. h. t.* contra naturam quippe est, ut cum ego aliquid teneam, tu quoque tenere videaris, unde possessio non magis apud duos esse potest, quàm ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris. *l. 3. §. ex contrario ff. h. t.*

32. Quem textum etsi communiter exaudiant DD. de eadem possessionis specie, & cum Sabinianis cumque Trebatio in ea pertinaciter hæreant persvasione, posse duos unam eandemque rem, secundum idem, ad idem, non tamen eodem respectu, hoc est uno eodemque possessionis genere, sed diversimodè possidere.

33. Hos tamen argutè & verè reprehendit Labeo, & Proculianorum sententia non modò relata, sed etiam ratione & autoritate suffulta est in *d. l. 3. §. ex contrario ff. h. t.* quibus cum jam firmiter & indubitatè concludimus, non posse non modò eadem possessionis specie: sed nec alium justè, alium injustè: sed nec unum naturaliter, alterum civiliter possidere eandem rem posse. *l. si ut certos. §. si duobus ff. commod. l. duo 19. ff. de precar. l. 13. §. si is qui ff. h. t.*

34. Sicut enim in summâ possessionis, hoc est, in genere, nihil interest, justè quis an injustè possideat. *d. l. 3. §. ex contrario ff. eod.* Ita quoq; non interest civiliter, quis an naturaliter possideat inspecto summo possessionis genere: qualisqualis n. sit possessio, ea est insistentia & detentio, & sedis positio, argumento *l. 1. in pr. ff. h. t.* tàm justa, quàm injusta, tàm civilis, quàm naturalis ut patet ex generalissima possessionis definitione.

35. Sicut ergo corpora se occupare & dimensiones se invicem subire natura non patitur, ita quoque nec jus permittit, ut quis stare videatur in eo loco in quo ego sto, aut sedere, in quo ego sedeo, aut tenere eam rem, quam in solidum ego teneo, & sic nec duos in eadem possessione concurrere: ne quam natura suo motu rerum omnium confusam mixtionem evitat, jus perversè inducat: quæ est ratiocinatio vera *d.l. 3.§.ex contrario ff.h.t.*

36. Certa debet esse res, quæ detinetur, seu sensu, seu intellectu *l.26.ff.h.t.* Incerta enim possessuro ejusque animo, sicut apprehensionem, ita quoque possessionem effugit *d.l. locus 26.in fin.ff. h.t.*

37. In commercio existentia quoq; præcipuum est requisitum inter alia, quo objectum possessionis qualificatum esse oportet. Inde res sanctæ, religiosæ ab initio modo posſideri non possunt. l. qui universas *30. §. 1. ff. h. t.* sed etiam ex post facto desinunt posſideri. *d. l.30. l. cum heredes 23. §. ult. ff. h. t* liber hom. etiam non nisi cum adjuncta bona fide possideri potest. *d. l. cum heredes:* sed de reb. quæ posſideri possunt, prolixius agetur infra thes.125.

38. Reliqua verba definitionis integram possesſionis substantiam absolutisſimè & significanter exprimunt, obtinentque locum formæ & causæ procreatricis, quibus à proprietate & omnibus aliis juris partibus distinctisſimè secerni posſit.

39. Animus enim desideratur ad possesſionis substantiam constituendam *l. licet C. b. t.* Hinc enim animo & corpore conjunctim requisito nulla quæritur possesſio *l. 8. ff. b. t.* Et quidem animus sibi habendi in omni possessore sive justo sive injusto: sive civiliter sive naturaliter possessuro necessarius est, qui alio nomine dicitur, propositum, affectio, opinio sibi posſidendi. *l. quamvis ff. b. t. l. 3. §. 6. ff. eod.* Dn. Vultejus *lib. 1. jurispr. Rom. c. 67. n. 7. & seq.*

40. Habendi quoque verbum adeò generale est, ut suo ambitu quoscunque possessores, sive jure dominii, sive ci-

ea

tra opinionem domini, imò nudos etiam detentores complectatur. *l. habere 188. ff. de V. S. l. stipulatio ista. 38. §. habere 9. ff. h. t.* ast excluduntur hi adjecta vocula sibi, nam possides cujus nomine possidetur *l 18. in pr ff. h. t.*

41. Definitionem possessionis in genere proximè sequitur divisio seu partitio, quæ teste Accursio animum legentis incitat, mentem præparat, & memoriam artificiosè reformat, & sic neutiquam prætereunda.

42. In ea verò mirè variant & deviant à vero plurimum DD. teste Bartolo *in l. 1. hic* animumque legentis in diversa distrahunt. Alii unam tantum possessionis speciem quæ naturalis sit, constituunt, & hunc quandoque naturaliter naturalem, quandoque civiliter naturalem faciunt.

43. Franciscus Duarenus disp. *anniversf. l. 1. c. 18.* facit in genere unam possessionem naturalem civili junctam. Aliam in speciem civilem, aliam in specie naturalem: quacum incidit ferè ea, quando Pragmatici faciunt aliam causalem, aliam formalem, seu quod idem est, aliam solam, aliam solidam, puta cum proprietate.

44. Antonius Contius *disp 1. c. 18.* unam facit tantum possessionis speciem propriè, puta civilem: alii duas faciunt civilem & naturalem. Omnia ineptè sine textu & ratione.

45. Toleranda esset hæc specierum multiformis distinctio, nisi & ii omnes in ipsarum specierum explanatione & definitione à se & inter se inexplicabiliter dissiderent, & dubitabundum non modò æque incertum dimitterent, sed etiam in avios labyrinthos & mæandros irremeabiles seducerent.

46. Recurrendum itaque nobis est ad fontes: in his namque veritas, in glossis est opinio. Et verò dividi potest summa possessionis seu genus, ut sit possessio vel justa vel injusta, indicantur hæ species totidem verbis *in l. 3. § ex contrario ff. h. t. l. 2. & 3. ff. Ut. possid.* Et coincidit illud, quod idem JCtus in eadem *l. 3. §. 22.* possessionem aliam facit bonæ fidei, aliam non bonæ fidei. Dissentiunt tamen vulgò Interpp. *argumento l. 2. §. 2. ff. pro empt. l. si uxor in pr. l. de don. int. vir. & ux.* &

ux. & justam possessionem absque bona fide, & vicissim injustam possessionem cum bona fide consistere, erronee & male asserunt.

47. Rectius his omnib. Acutissimus Cujacius *18 obs.25.* definit malam fidem scientiam injustæ possessionis · & hunc sequuti Egregius Donellus *5.com.7.*& Eximius JCtus Wesenb. in *par.hic.n.3.* justam possessionem nihil aliud esse docet, quam bonæ fidei possessionem argumento *l.nemo C.h.t.* & evidenter probat. §.*si quis à non domino Inst de usuc.* Nec alio respexisse videtur Imp. in *l.nemo C.h.t.* dum duplicem facit possessionis rationem sive speciem, aliam quæ jure, aliam quæ corpore constat. Illa alibi dicitur, quę jure civili constat. *in l.27.ff.de don. inter vir.& ux.* Hæc aliàs corporalis *in l.24 ff.h.t.l.25.§. quod a. ff. eod.* ubi similiter hæ duæ species sibi invicem opponuntur. Dissent. Duaren. *lib.1.disp.c.8.* Alciat. ad *l.quæstio 115.ff.de V.S.* qui eam, quæ jure constat, interpretantur malè eam quæ animo retinetur, cum tamen utraque animo retineatur.

48. Justa possessio in duas species est subdividua, civilem & naturalem, quæ subdivisio probatur optimè per *l. quæcunq. § 1.ff.de Publ.* ubi nominatim scribit JCtus, justas possessiones aliàs esse cum opinione domini, sive ex causis adquirendarum rerum, & hoc nomine dari judicium Publicianum. Alias sine affectione domini, & ex causis quib. non solet transferre dominium, seu usucapiendi conditio & confirmat *l.si servus 22.ff.de noxal.act.* Apertius indicantur hæ species, & tanquam inter se revera distinctæ specifica differentia, & non accidentali quadam, qualitate diversificatæ, (ut quondam voluit Azo,) sibi opponuntur *in l 2.§ 1.ff.pro hered.& l.1.§ deycitur 9 ff. de vi & vi arm. l.3.§.fin. ff. ad exhib.* Pro hac specifica utriusque possessionis differentia rectè pugnavit olim Johannes antiquus glossator referente Accurs. *l. 1. ff. h.t.* quem sequutus est Dynus *in c. sine possessione de reg.jur.in 6.* Contra v. voluit Azo, cujus opinio communiter reprobata est: rationes n. quib. utitur, debiliores sunt.

49. Per civilem possessionem vulgo intelligunt justam & legitimam, per naturalem injustam & vitiosam, quos sequuntur

quitur Donell. *5. com. 7. n. 20.* Alii & communiter euntes in Johannis sententiam, per civilem accipiunt, eam quæ animo retinetur: per naturalem, quæ corpore tenetur: utrumque sine ratione & in fundamenta juris incurrit.

50. Utraque enim possessio est justa & legitima, ut dicitur in l. quæcunq; ff. Publ. *d. l. servus 22. ff. de noxal.* licet non utraq; constet animo domini. Deinde & creditor justè possidet, & sequester, & precarius possessor, & tamen constat hos non civiliter, sed naturaliter possidere infinitis in locis, scriptum legitimus. *l. 1. § 15. ff. h. t. l. 21. § 1. ff. de noxal. l. 12 ff. h. t. l. 17. ff. depos. l. 3. § ult. ff. ad exhib.* Prior itaque opinio manifestè error est.

51. Posterior intellectus planè falsus est his rationibus. 1. Quia nulla possessio est, nisi quæ corpore & animo fuerit adquisita *l. 3. § 1. l. 8. ff. h. t.* Ergo foret omnis possessio civilis, omnis naturalis, quod absurdum. 2. Quia omnis possessio facti & juris est *l. 1. § 2. ff. h. t.* nulla ergo futura quæ solo corpore constet. 3. Quia omnis possessio retinetur animo. E. & naturalis. Nisi velimus omnem possessionem esse civilem, & ne non sit naturali locus, dicere cum Azone & Placentino naturalem post in civilem transmutari, & Dii Nasonis induere metamorphosin, quod si erit, erit sine capite, sine principio naturalis possessio, & talis erit, quæ nunquam fuit, quod vergit ad fabulas. 5. Quia etiam injusta possessio retinetur animo & creditor etiam naturalem possessionem animo retinet, ita optimè omnium Vaudus *lib. 2 quæst. 3.*

52. Hoc sexto addo, ridiculum & alogòn esse ex possessionis adquisitione vel retentione peculiares possessionis species, specierumque definitiones effingere, cum definitio debeat esse ἐνσιώδης, & à forma intrinseca desumpta, non ab actu quodam adquirendi, vel retinendi extrinseco & adventitio consuta. Vacon. à Vacun. declar *l. b. 2. declar. 32. n. 7. Alciat. in l quæstio ff. de V. S.*

53. Utraque ergo possessionis species, tèm naturalis quàm civilis constat corpore, utraque etiam animo retinetur,

tur, utraque facti & juris est, ut eleganter probat Cujacius 18. *obs. 24.* non tamen utraque animo domini tenetur. *l. quaecunq. 21. §. 1. ff. De Publ.*

54. His velut praecognitis, suppositisque, optimè superstruitur cum eodem *Cujacio 9. obs. 33.* ad normam rectissimam definitio talis. **Civilis possessio est, quae apprehenditur ex justa dominii adquirendi causa, ab eo qui se dominum esse credit.**

55. Quae definitio perfecta & verissima est, si intelligatur in terminis habilibus, cum & alias clausula de habilitate sit superflua. *arg. l. 1 ff. de testam. l. 5. § stipulatio ff. de V. Ob. 11. in pr. ff. de mun. & hon.* praesertim si facilè aliunde suppleri possit.

56. Ex eadem facilè licet colligere, quid sit justa possessio, si animadvertatur, quid ad definitionem generis accesserit, demptis tamen verbis posteriorib. quae continent specificam utriusque possessionis differentiam, fundantur eadem *in d. l. quaecunq. §. 1. ff. de publ & l si servus 22. ff. de noxal.* & probantur etiam Theophilo *Inst. per quas pers. similiter Eccl. 2. c. 60. argumento l. pen. C. de furt. l. fin. C. si in causa judicat. pig. l. usufructu legato 7. §. 2. ff. de usufr.*

57. At malè finit idem Cujac. *d. obs. 33.* possessionem naturalem quae solo corpore constat, quod jam à nobis supra refutatum. Rectius itaque est rei corporalis &c. detentio cum animo & affectione justâ sibi habendi, citra tamen opinionem domini: Probatur haec definitio citatis locis, *l. 3 ff. de Publ. l. 22. ff. de noxal.* directè, vel argumento ducto à contrario sensu, quod genus argumentandi fortissimum est. *l. 1. in pr. ff. de eo cui mand. est jurisd.* Aliter utramque possessionis speciem definit Bartolus ab effectis: sed sufficit definitionem esse τὶ ἐστὶ, & quid sit, non quid agat definiat. *Alciat. lib. 9. parerg. c. 21. Cont. lib. disp. c. 10.*

85. Injusta possessio non subdividitur, sed est unius modi inque genere suo consistit, & plerunque corporalis appellatur. Ut in *l. quod servus 24. ff. h. h. t.* nisi velimus cum ejus

ejus collocare species, quod sunt injustæ possessionis causæ: sed de iis infr. agetur.

59. Est verò injusta possessio, quæ ex injusta, nec ad quærendum dominium habili causa apprehenditur, cum proposito sibi habendi, qualis sit vero possessio justa an injusta æstimaturo, origo nanciscendæ, non ratio obtinendi exquirenda est. *l.5. & 6. ff. h.t.*

60. Ex quibus apparet, quàm sint frivoli ii, qui corporalem & naturalem possessionem promiscuè & identidem usurpant. Præterquam enim quod definitione distent: JCtus eas *in d. l. quod servus 24. ff. h.t.* è diametro opponit. Et Ulpianus in *l.1. §. deÿcitur ff. de vi & vi arm.* & *d. l. quæcunq. §. 1. ff. de publ.* Licet n. omnis possessio ratione primæ apprehensionis possit dici *καταχρηστικῶς* corporalis, strictè tamen, absolutè, est propriè possessio corporalis non rectè dicitur naturalis.

61. Hactenus quæ dicta sunt, & insuper dicturi sumus de vera possessione, aptari etiam quodammodo possunt quasi possessioni rerum incorporalium, definitione prius rectè constitutâ, ut sit quasi possessio rei incorporalis usus quidam cum animo sibi habendi argumento *l. fin. ff quemadm. serv. am. l. 1. §. Aristo ff. de aq. quot & æst.* Ita ferè Theoph. *Inst. de interd.* Sic qualiter qualiter possidetur ususfructus *l quod est 3. §. pen. ff. de vi & vi arm.* & omnia jura *l. 16. §. 4. l. 18. §. 1. ff. de hered. pet. l. 4. §. 27. ff. de usuc.* Vultc. *lib. 1. jurispr. Rom. c. 67. n. 8.* Mindan. *in comm. synopt de poss.*

62. Definitionibus, divisionibus sic constitutis, & substantialibus rei rectè prælibatis, sine quibus res ipsa intelligi nequit: Proximum nobis alterum hujus materiæ caput, quod consumitur in accidentalibus & extrinsecus considerandis, hoc enim ordine progreditur Paulus *in l.1. ff. h.t.* & passim hanc seriem sequitur integer titulus.

63. Illa consistunt in actibus, adquisitione, retentione, vel amissione possessionis argumento rubric. hujus & passim h. t. Circa adquisitionem pensitanda veniunt: formà adquirendi, modi, personæ, quæ adquirere possint, quæ non per quas, causæ adquirendi, res sive materia.

64. Formam adquirendi quod attinet, [illegible] & eleganter traditur in *l. 3. §. 1. ff. h. t.* possessio nulla nisi corpore & animo adquiritur, neque per se corpore neque per se animo, sed utroque conjunctim requisito, tanquam [illegible] individuo. Et hoc de omni possessionis specie [illegible] sit, verificari necesse est, idque indicat particula [illegible] quæ pro diversis, ut inquit Dynus Muxellanus, [illegible] negare.

65. Vanum itaque quod sibi somniant Interpretes [illegible] esse possessionis speciem, quæ corporealiter [illegible] constat; imò non animadvertunt reprehensum hoc [illegible] à Saboleno JCto Labeonem, qui & ipse [illegible] solo animo putabat quæri possessionem. *l. 3. ff. h. t.* ubi corporis alieni ministerium intervenire egregie evincit.

66. Corpus autem hic accipitur non pro actuali [illegible] semper corporis insistentia, sed sufficit quâlicunque de parte corporis apprehensam esse possessionem *l. 3. §. [illegible] ff. h. t. l. 15. §. [illegible] ff. h. t. l. fin. C. eod.* aut tale quid [illegible], quod corporalem ipsius rei apprehensionem, non tamen [illegible] corporali, repræsentet. *d. [illegible]*

67. Unde [illegible] modi reperti [illegible] non [illegible] possessio adquiritur, quàm animo & [illegible] sunt maximè naturales, inter quos [illegible] occupatio, modus tàm [illegible], quàm [illegible] pervetustus: cujus rei [illegible] ra, mari nata in littore inventa, [illegible] ait Paulus in *d. l. 1. [illegible] h. t.* & generaliter in rebus nullius, mobilibus aut immobilibus, animatis, aut inanimatis.

68. De hoc scribit *Cic. l. 1. off.* privata autem natura nulla sunt, sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacuam venerunt, aut victoria, ut qui bello potiti sunt.

69. Alter modus est traditio, quæ est vel naturalis vel civilis. Utraque species significatur in *l. [illegible] C. de pact.* Naturalis traditio est de manu in manum datio & acceptio, quæ rerum mobilium tantum est.

70. Civilis est, quæ nota & symbolo [illegible]

corpo-

corporalis repræſentatur, ex qua tamen non oritur ficta, ſed vera poſſeſſio, licet ex falſo non niſi falſum oriri poſſit.

71. Utraque tàm naturalis quàm civilis vel fit purè vel ſub conditione: Illo modo ſtatim quæritur & transfertur poſſeſſio: hoc non niſi ante exiſtentem conditionem; ſive ea ſit expreſſa ſive implicita ſeu tacita. *l.34.§.ult.l.38.ff.h.t.*

72. Primus civilis traditionis modus eſt rei immobilis in vacuam poſſeſſionem inductio vel ingreſſus, qui loco veræ traditionis cedit: unde ſicut res non juſtè ante traditionem propriâ autoritate occupatur; ita etiam injuſtè poſſidet, qui vel invito vel neſcio domino rem immobilem ingreditur. *l.33.& ſeq.ff.l.7.C h.t.* Sufficit a. quamlibet fundi partem introire integrum adquirere volenti & cogitanti *l.3.§ 1.ff. h.t.*

73. Alter civilis traditionis modus eſt, præſentia rei & aſpectus *l. 1.§ pen. ff. h. t.* Quæ Javoleno alias dicitur poſſeſſio longa manu tradita in *l.pecuniam 79.ff de ſol.* non n. ſemper neceſſe eſt corpore & actu re ſi apprehendere poſſeſſionem, ſed etiam oculis & affectu *d. l. 1. § 22.ff.h.t.* huc refer *l.18.§ etſi venditorem ff. h. t.* ubi non ingreſſus, ſed rei præſentia & aſpectus transfert, licet contra ſentiat Donell.

74. Tertius civilis traditionis modus eſt clavium traditio, quod innuit verbum, haberi, videri *in l.1.§ pen ff.h.t.l.clavi. 74 ff de contrah.empt.* Sunt n. hæc plerumq; fictionis & improprietatis notæ. Ratio hujus rei eſt, quia ſymbolo tradito res ipſa ſignificata ſymbolo, tradita intelligitur, & dominium & poſſeſſio transfertur *l.qua ratione 8.§ item ſi quis ff de adq.rerum dom.l.74 ff de contrah.empt.* Hanc tamen clavium traditionem, ut poſſeſſio tranſeat, in re præſenti fieri debere communiter rectè opinantur *d.l clavibus* verbo, *apud horrea ff.de contr.empt.*

75. Quartus modus eſt cuſtodis appoſitio: nihil enim intereſt, ipſe rem, an mandatu meo aliquis cuſtodiat *l. 51 ff. h.t.* quæ ſufficit, ſine alio actu corporali. Huic modo vicina eſt rei conſignatio *l.14 in fin ff de peric.& com rei vend.*

76. Quintus modus civilis traditionis, conſtitutionib. introductus eſt inſtrumentorum traditio *l.1.C.de donat.* inſtrumento videtur contineri res ipſa.

77. Sextus hicce modus addi solet abusiva investitura, in qua intervenit traditio pilei, bireti vel ensis, in præsentia rei feudalis *c. autoritate* & ibi gloss. *extr. de Inst. c. 1. in fin.* & ibi Feudistæ. *de nov. form. fid.* Sneidw. *ad §. possidere Inst. de interd.* Cujac. in comment *lib. 2. feud. tit. 3.* eodem modo transfertur possessio præbendæ, per collationem. Covarruv. *var. res. lib. 3. c. 16. n. 10.*

78. Septimus civilis traditionis modus est constitutum, quod aliàs traditio brevi manu, sic dicta, quod fiat vitato circuitu: sicut econtrà longa manu dicitur, quod fiat circuitu longo. vide *l. 23. §. 2. ff. de jur. dot.* Ut autem constituto transeat possessio, requiritur à parte constituentis possessio propria tempore constituti. *l. 18. l 32. §. 1. ff. h. t.* ratione ducta ex *l. nemo 54. ff. de R. I.* A parte verò ejus cujus nomine constituitur, præsentia vel ratihabitio argumento *l. 42. §. 2. ff. h. t. l. si ego 24. ff. de neg. gest.*

79. Constitutum vel fit tacitè vel expresse: Tacitè fit facto quodam, ut conductione ejus rei, quam quis traditurum alicui vult *l. quædam 77. ff. de R. V.* item ususfructus formalis retentione in re vendita *l. 28. C. de donat.* idque propter necessariam consequentiam, cum res sua nemini serviat. *l. 5. ff. si ususfr. pet.*

80. Expresse fit constitutum, si quis quod ante suo nomine possidebat, expressis verbis declaret se jam alieno nomine velle possidere, protinus amittitur possessio & corpore sui ministerio alium possessorem facit. *l. 18. ff. h. t.*

81. Neq; per hoc mutat sibi causam possessionis, nisi desinat planè possidere. Is enim mutat causam possessionis, qui veteri causa repudiatâ, constituit se ex novâ possidere. Facto nullo extrinsecus accedente. Itaque qui omnino non possidet, neque ex nova causâ possidet. Sic eleganter arguit Celsus in *d. l. 18. ff. h. t.*

82. Hæ sunt civilis traditionis species, quibus adduntur à plerisque modus peculiaris adoptio *ex l. 16. ff. de prec.* Sed nec hæc species quicquam singulare habet: Imò est species quædam taciti constituti. Adoptatus enim hoc ipso, quod se in adoptio-

adoptionem dat, ministerio suo facit adoptantem bonorum suorum possessorem. Sic ingressus monasterium, ad exemplum adoptati, possessionem monasterio quærit suo ministerio. *Auth. ingressi C. de S. S. Eccles. auth. si qua mulier C. eod.*

83. Coacervant plures adquirendæ possessionis modos interpretes. Ast supervacaneè & turbatè. Ad hos enim nunc recensitos omnes revocari posse credo, cum affinitate mutua sibi juncti sint.

84. Adfingunt etiam vulgus interpp. nescio quam civilissimam possessionem, modum videlicet, quo per statutum ipso jure transfertur possessio sine ulla aliâ apprehensione. Sneidw. *ad §. possidere Inst. de interd.* Midan. *in tract. poss. synopt. Coras. 6. miscell. c. 12.* Forster. *lib. 2. de success. c. 4.* & de tali Galliæ consvetudine testatur Tyraquell. in tractat. *de consvet. declar. 3.*

85. Ast sicut barbarâ & juri incognita appellatione: ita ratione & juris etiam religione contemptâ (sic loquitur Paulus *in l. 30. ff. h. t*) 1. ex certissimo enim juris principio indubitanter assero, nullam possessionem sine animo & corpore quæri. *l. 3. ff. h. t.* Hoc itaque essentiale possessionis non potest expungi, aut per æquipollens suppleri. 2. Quia nec fictio postliminii in possessione locum habere potest. *l 19. ff. de capt. & postl. revers.* Tantum abest, ut hæc possit. 3. Denique & natura impedimento est, quâ omnino facto opus est. *l. 3 §. Neratius ff. h. t. l. 1. ff. eod.* Nulla ergò legis fictione, nullo pacto effici potest, ut hæc duo animi & corporis adminicula absint. *l. verum est ff. de R. I.*

86. Quibus consequens est dicere, nec in heredem, sive allodialium, sive feudalium, sive suum, sive extraneum, licet omnia jura ad eum transeant ipso jure, possessionem tamen sine aliquâ novâ apprehensione continuari, per *l. cum heredes 23. in pr. l. 30. §. quod pro eo ff. h. t. l. 1. §. Scævola ff si quis test. lib. ess. juss. l. 13. §. quæsitum l. 3. §. 1. ff. h. t. c. un. circa med. de feud. cognit. lib. 2. feud.* Ratio est quia morte interrumpitur possessio *d. l. 13. §. quæsitum.* Tum etiam quia hereditas est jus, ea igitur quæ sunt facti respuit. Diss. Coras *6. miscell. c. 12.* Forster. 389

ster. *lib. 2. de success. c. 4. n. 16.* Nobis verò præfulgent juris lucernæ. Gail. *lib. 2. obs. 129.* Mynsing. *3. obs. 38.* Wesenbec. in *paratit. ff. Quor. bon.* Didac. Covarr. *3. var. res. c. 5. n. 6.*

87. Animus quoque actui corporeo accedat necesse est in adquisitione possessionis. *d. l. 3. & l. 8. ff. h. t.* nihil enim facit contactus rei momentarius & detentio asinina *l. 41. ff. h. t.* nisi accedat animi quoq; destinatio.

88. Qui animus quid sit, eleganter sese explicant JCti. Dicitur enim alio vocabulo adfectio in *l. 1. § furiosus & l. 3. § 6 ff. h. t.* item mens seu cogitatio *d. l. 3. § 1 eod. l. 2. § Celsus ff. pro empt.* & voluntas *in d. l. 2. § Celsus. ff. d. tit.* propositum seu destinatio possidendi *l. quamvis saltus 46 ff. h. t. l. inficiando 47 in pr. ff. de furt.* intellectus *in d. § furiosus l. quamvis 32. § infans ff. h. t.* Opinio *l. si servus 22. ff. de noxal.*

89. Animus hic semper debet esse constans, exploratus, non vagus aut errans *l. si me 34. ff. h. t.* non anceps aut incertus *l. fin. C. de cont. emt.* non [illegible] *l. 3. § si quis [illegible] ff. h. t.* debet esse animus proprius, non alienus. Unde adquiritur nobis possessio, vel corpore & animo nostro *l. 3. ff. h. t.* vel quasi nostro *l. 3. C. h. t.* vel animo nostro: corpore autem & animo simul alieno. *l. 1. § 9 ff. h. t. & § 20.* Ille enim per quem possidere volumus, talis esse debet ut habeat intellectum possidendi. *d. l. 1. § 10. ff. h. t.* animum possidendi [illegible] *9. cod. l. per servum § ult. ff. de adq. rerum dom.* Ratio autem [illegible] non etiam animo sicut corpore alieno nobis possessio quæritur, redditur hæc a Donello 5 *comment. c. 10.* quia [illegible] ut velimus non est in aliis, sed in nobismet ipsis.

90. Personæ quæ corpore & animo suo vel quasi suo adquirere vel non adquirere possint, de quibus tamen probabiliter dubitari poterat, sunt hæ: Infans per se adquirere possidere plane nequit l. quamvis pupillus § *infans ff. h. t.* quoniam adfectum possidendi certum propter judicii imbecillitatem habere nequit: Infans verò quis sit collige ex *l. [illegible] C. de jur. delib.*

91. Neque hoc jus mutatum per *l. 3. C. h. t.* [illegible]

donando

dofredo ausi sumus dicere: Vel enim loquitur Decius Imp. de eo pupillo, qui pubertati proximus est. Vel si de infante est imperiale rescriptum, hoc saltem dicit Imp. possessionem Infanti corpore adquiri. Alterum an non nisi tutore autore, id eo rescripto emissum sub dispositione veteris juris remanere intelligitur, cum expressè correctum non inveniatur argumento *l. præcip mus in fin. C. de appell.* Pro posteriori hoc intellectu tria adfert ex ipso textu argumenta acutissimus Donellus *5. com. n. n. 60.* ex quib. vel unicum hoc sufficiens esset huic rei probandæ, quod imperator ibi *in d. l. 3* rescribat de eo in quo fuerint sententiæ auctorum diversæ seu dissentientes. At verò de eo nullus unquam JCtorum dubitavit, an infans per se incipere possidere possit, sed jus fuit semper certum & indubitatum, quod animo & affectu gereretur, non magis per infantem, quàm furiosum expediri posse *l. in negotijs ff. de R. I. l. servo § pupillo ff. ad Trebell.* Solum in eo constitit quæstio, an pupillus tutore autore possidere possit. *argumento l. quamvis pupillus § ult. ff. h. t.* Et de eo tantum rescribit Imp. sequutus autoritatem acutissimi viri Papiniani.

92. Quod verò communiter Dd. distinguunt conciliaturi, inter res jocales & infantiles, & non jocales, valde illud infantile est & jocale, nec refutatu dignum.

93. Infanti similis est furiosus, quod nec ipse possessionem adquirere possit. *d. l quamvis 32. § pupillus ff. h. t.* puta qui continua mentis alienatione & omni intellectu caret, ut dicitur in *l. Divus Marcus ff. de off. præs. l. cum prætor 12. ff. de jud. l. 18. § 1. ff. h. t.* In eo dissimilis & deterior ejus est conditio, quod nec curatore autore adquirere possessionem possit argumento *l. in negotijs ff. de R. I.* Cujac. ad *l. 4. verb.* pupillus *ff. h. t.* Dissent. Accurs. *in l. 1. vers.* sine tutoris. *ff. h. t.* cujus rei ratio, quod etsi in infante non est judicium, nullus certus affectus habendi: aliqua inest tamen affectio, qui defectus suppletur autoritate tutoris *d. l. quamvis § ult. ff. h. t.* At verò furiosus nullum negotium rectè gerit, quoniam nulla ejus est voluntas & consensus. *l. in omnib. ff. de R. I.*

94. Secus

94. Secus est si furor intervalla & intermissionem habeat, quia tunc sanæ mentis est *l. 22. §. 2 . solut. matr.* & sicut tunc omnia negotia rectè gerit *l. 2. C. de contrah. empt.* etiam possessionem apprehendere potest *l. 18. §. 1. ff. h. t.*

95. Ex peculiaribus causis, quoniam ignorantibus nobis possessio adquiritur, rectè etiam furioso per servos indistinctè obvenire consentaneum est rationi. *l. 1. §. item adquirimus ff. h. t.* Est enim loco ignorantis furiosus. *l. 4. ff. de divort. & repud.* & quiescentis *l. 2. § furiosus ff. de jur. codicill.*

96. Ex eadem ratione nec dormiens, & si in manu quid ponas *l. 1. § 3. ff. h. t.* nec errans, quia consensum error non habet, possessionem adquirere potest: error tamen corporis, non nominis impedit possessionis adquisitionem. Item servus nullo modo possidere potest, cum juris sit incapax *§ 1. Inst. de stip. serv. l. quod servus 24 ff. h. t.*

97. Pupillus pubertati proximus etiam sine tutoris autoritate adquirit per se *l. quamvis § infans ff. h. t.* quæ Ofilii & Nervæ sententia alibi probatur à Paulo *l. 1. § furiosus ff. h. t.*

98. De municipibus olim dubitatum fuit, & dissensio inter veteres JCtos argumento *l. 1. § ult. l. 2. ff. h. t. l. 79. ff de contrah. empt.* Dubitandi ratio hæc est, quod uno omnes animo, qui tamen maximè requiritur ad possessionis adquisitionem, affecti esse non possint, & sic nec uni rei possidendæ consensum præbere: sive, quod inquit Duaren. *ad l. 1. § fin. ff. h. t.* quod universitas est res incorporalis, & intellectu consistens, atque adeo ipsa nec actum corporalem nec mentalem exercere potest. Sed hoc jure utimur, ut municipes & possidere & usucapere possint *l. 2. ff. h. t. l. 7. § item municipes ff. ad exhib.* quod utilitatis causa receptum est.

99. Hereditas quoque quamvis defuncti vicem obtineat, & mancipio in quibusdam comparetur *l. 22. ff. de fidejuss.* possessionem tamen, quæ facti est & animi habere nequit. *l.* *§ Scævola ff. si quis lib. test. ess. juss.* nisi ex causa peculiari, jure singulari. *l. 1. § item adquirimus l. 44. § pen. ff. h. t. l. 16 ff. de V. & A.*

100. Atque hæc de possessoribus in genere. In specie & quidem

quidem civiliter posſident, quicunque ex juſta cauſa & opinione domini poſſident *argumento l. 13. §. 1. ff. de Publ. in rem act.* quales ſunt rerum domini *l. 8. ff. de vi & vi arm. l. 1. § 2. ff. Ut. poſſ.* Bonæ f. poſſeſſores *l. 4. & 1. t. ff. de uſurp. & uſuc. l. 48. § 1. ff. de adq. rerum dom.* Depoſitor *l. 17. § 1. ff. depoſ* Locator & dominus ſoli *l. 3. § 7. ff. Ut. poſſid.* Solam enim hi cuſtodiam & uſum transferunt *l. 10. ff. commod.* Ex ſecundo decreto miſsi in poſſeſsionem *l. 5. l 15. §. 16. & 33. ff. de dam. inf. l. 3. § ult. ff. h. t.* De marito grave eſt inter Dd. diſsidium, an poſsideat rem dotalem civiliter? Nobis affirmantium placet ſententia, per text. in *l. 23. C. de jur. dot. l. 21. § 4. ff. ad municip. l. dote C. de R. V. l. 13. § 6. ff. h. t. l. dotis actione C. ſolut. matr.*

101. Item uſufructuarii, vaſalli, emphyteutæ, jus quaſi civiliter poſsident: unde domini appellantur in *l. 8. in pr. ff. de reb. aut jud. poſſid.* & præſcribere poſſunt *l. fin. in fin. C. de præſcript. long. temp.* his adde textus expreſſos *in c. un. ſi de feud. de funct. l. 12. §. 2. ff. de uſufr. l. 23. §. 2. ff. ex quib. cauſis maj. l. 3. § 17. ff. de vi & vi arm.* At verò rem ipſam in uſumfructum datam neutiquam poſsidet, fructuarius civilis *l. 12. in pr. ff. h. t. l. 1. § ſervum ff. h. t.*

102. Naturaliter poſsident omnes ii, qui citra jus affectionemque domini ex juſta cauſa poſsident *d. l quæcunq. § 1. ff. de Publ.* ut ſunt creditor *l. 3. § ult. ff. ad exhib. l. 13. § 1. ff. de Publ. l. 28. l. 35. § fin. ff. de pign. act. l. 1. § 12. l. 36. l. 37. & l. 40. ff. h. t.* exceptis tribus cauſis, quibus debitor utilitatis cauſa poſsidere intelligitur: nempe ad uſucapionem *l. 36. ff. h. t.* & ad ſatisdationem *l. ſciendum § creditor ff. qui ſat. cog.* & jus præſentandi ſeu conferendi *c. cum Bertoldus extr. de ſent. & re jud.*

103. Naturaliter item poſsident ſequeſter *l. 39. ff. h. t. l. 17. ff. Depoſ.* ſuperficiarius *l. 1. § 1. & § 2. ff. de ſuperfic.* Emphyteuta & Vaſallus rem feudalem vel emphyteuticam *c. un. § quamvis tit. de inveſt de re alien. fact. l. ſciendum § 1. ff. qui ſat. cog. l. 1. C. de mancip. & colon. c. 1. § ult. in quib. cauſis feud. am. lib. 2. feud.* ita tamen ſi hoc inter dominum & vaſallum agitur dictis locis. Naturaliter poſsidet & is qui precariò rogavit, ut ſibi poſ-

391

sidere liceat *l.21.§ fin.l.36.in fin.ff.h.t.l.2.§ habere l.4.§ 1.& § fin.l. & habet is.§ eum qui ff.de prec.l.10.§ 1.ff.h.t.*

104. Injuste & corporaliter possident, qui ex injusta causa vel mala fide possident ut prædo *l.7.l.9. C.h t.l.25.ff rer. am.l.24.ff.h.t.* Clandestinus possessor *l.7.§ 4.ff.com divid* alienam rem scientes ementes *l.33.§ 1.ff.de usuc.l.2.§ 1.ff.pro empt.l. 13. C.de furt.* possessionem propria authoritate apprehendentes *l 5.ff.h.t.l.33.ff.eod.l.1.§ 2.ff.quod leg* Mariti donatarii & maritæ *l.57.ff.de adq.rer.dom.l.46 l.6.ff.de don.inter vir & ux.l.1.§ 4.ff.h.t l.15.ff.eod.* item in jure errans *l 31.§ 1.ff. de usurp & usu.* & id genus alii, de quibus si quæritur an possideant, aut an si possidet, quocunq; modo possideant, propter *l.3.§ ex contrario ff.h.t.* aut omninò non possident: in quorum numero sunt nudi rerum detentatores, qui quidem in possessione sunt, at possident neutiquam: quam distinctionem accuratè observandam inq; multis utilem suppeditat nobis elegantissima *l.10.§ 1.ff.h. t.* sed his paulo post latius.

105. De cæteris, si qui sunt, non tam est dubium. Generaliter itaq; quicunq; intellectum possidendi habet *l.quamvis § infans ff.h.t.* ex omnib: causis, justis tamen argumento *l. 25.§ ult.ff.h.t.* non modo per se & corpore proprio, sed etiam per alios possessionem adquirere potest. *l.generaliter ff.de noxal.l 1.§ adipiscimur ff.de noxal.*

106. Idque fit vel ratione potestatis: vel ratione juris ab extraneis. Potestatis vel Patriæ, vel dominicæ. Patri enim per filium tàm civilis, quàm naturalis quæritur possessio *l.1 item adquirimus ff.h.t.* tàm per adoptatum, quàm naturalem *l.16.ff.de prec.* non tamen per filium opinatum *l.50.ff.h.t.* quæ procedit etiamsi ignoret pater in potestate sua esse filium, imò etiamsi ab alio possideatur. *l.4.ff.h.t.* imò amplius etiam invito ex peculiari causa *d.l.1.§ adipiscimur* & *d.l.4.ff. h.t.* idque fit non ratione possessionis, sed ratione potestatis. Licet aliàs rectè pater dicatur esse in quasi possessione filiationis.

107. Ratione potestatis dominicæ quæritur domino possessio per servum, vel ancillam *l.1.§ 12.ff.h.t.* etiam ignoranti

fanti & furioso *l.1.§ item adquirimus ff. h.t.* quod benigne constitutum est, inspecto initio, quo peculium non sine voluntate domini constitui solet *l. 4. in pr. l. 5. § ult. ff. de pec. § 1. Inst. per quas pers.* etiam invito & ignoranti ex causa peculiari. *d. l. 1.*

108. Item quæritur possessio per servum fructuarium *l. 1. § 8. ff. h. t.* ratione usufructus. Per servum alienum bonaf. possessum *d. l. 1. § 6. l. 34. § ult. ff. h. t.* Per fugitivum *l. 1. § 14. l. per eum § 1. ff. h. t. l. si cui § licet ff. de lib. caus.* cujus ratio est, quod fugitivus etiam possessionem sui nobis conservare possit *l. si rem mobilem in fin. ff. h. t.* per servum communem *l. 1. § 7. ff. h. t. l. communem l. si me § fin. ff. eod.* adhibita tamen distinctione *l. 1. § 7. ff. h. t. & l. 5. cum seq. ff. de stip. serv.*

109. Per servum etiam emptum, legatum, donatum *l. 1. § 16. ff. h. t. l. 48. ff. eod.* non etiam per servum hereditarium ante aditionem hereditatis *l. 1. § 16. ff. eod.* in cujus rei differentiæ ratione danda mirè varii & discrepantes sunt interpretes. Ferretus inexplicabile negotium esse scripsit. Plusquam ridiculam ab asino mutuatur Accursius: aliam consuit Aretinus: aliam adfert Godofredus dicto loco. Nobis ratio verissima ea videtur, quia quod jam hereditatis est, non potest amplius servus hereditarius hereditati, & consequenter heredi quærere. Alia ratio est donatorum, emptorum, legatorum, quia hi nobis directò adquirunt, & proinde ea etiam quæ sunt hereditatis. Aliarum verò rerum peculiarium vel extra hereditatem constitutarum per servum hereditarium rectè quæritur possessio, quia ibi cessat ratio: & probatur expresè per text. *in l. 1. § item adquirimus ff. h. t.* & argumento à contrario sensu ducto per *d. l. 1. § 16. ff. eod. § 1. Inst. de stip. servor. l. heres quandocunq; ff. de adq. rer. dom.* non verò quod hereditatis est, ut veteres rectè putarunt *d. § 16. & l. per hereditarium ff. de adq. rer. dom.*

110. Hujus subsellii est & indaginis subtilioris intricata & dubiè agitata quæstio, an per eos qui sunt in potestate no- 392

stra,

ſtra, etiam ex omnibus aliis cauſis, quam peculiari in ſolis nobis adquirant? Aſſertivè ſtatuit Accurſius, & hunc ſequutus Duarenus ad *l. 68. ff. de V. O.* Videor ego mihi rectius ſentire cum Cujacio in *d.l. 62. ff. de V. O.* (licet is ſit ſibi contrarius *obſ. 24 c.9.*) Aretin. & Æmilio Ferreto, diverſumque amplecti propter textum expreſſum in *l. ea quæ 53. ff. de adq. rer. dom.* & argumentum à contrario ex *l.1. § item adquirimus ff. h. t.* quo etiam ipſe JCtus in *l. peregrè § quæſitum ff. h. t.* utitur: tum etiam rationem evidentem in *d.l. 53.* quia poſſeſsio res facti eſt: & denique; quoniam animo alieno ſolo quæri nequit *l. 3. §. 1. & § ceterum ff. h. t.*

111. Atque hæc de iis, qui ſunt in poteſtate. Ratione juris & obligationis cujusdam nobis adquirunt liberæ etiam perſonæ, ut tutor, curator, procurator, geſtor, adminiſtrator *l. 1. § 20. ff. h. t. § 1. Inſt. per quas perſ. nob. adq.* hi enim omnes alienæ poſſeſsioni præſtant miniſterium *l. 18. ff. h. t.*

112. Illud obiter ſciendum ſufficere ad poſſeſsionem quęrendam mandatum generale *l. 13. ff. de donat.* Geſtor tamen ſine mandato adquirit nobis ratum habentibus *l. 24. ff. de neg. geſt. l. 41. § fin ff. h. t.* Hoc controverti video, an etiam per procuratorem ignorantibus nobis quæratur poſſeſsio? Ubi affirmantium placet ſententia. Sufficit n. mandatum generale vel ſpeciale interceſsiſſe, & noſtro nomine apprehenſam eſſe poteſtatem *l. 1. § 20. l. 42. § 1. l. 49. § ult. l. 34. § pen ff. h. t. l. 13. ff. de adq. rer. dom. Donell. lib. 5. comm. 10.*

113 Item per colonos *l. 25 § 1. l. 30 § ſi ego ff h. t.* Depoſitarios *d. § ſi ego.* Inquilinos & conductores *d. § ſi ego.* Amicos. Et generaliter per eos, poſsidemus, quisquis noſtro nomine in poſſeſsione eſt *l generaliter 19. ff. h. t.* vel conſtituit ſe noſtro nomine poſsidere *l. 18. ff. h. t.*

114. In poſſeſsione hos eſſe diximus. Longè n. inter ſe diverſa ſunt, in poſſeſsione eſſe & poſsidere *l. ſi quis ante eſt in pr & § 2. l. 11 ff. h t. l. 1. C. com. de uſuc l. 2. C. de præſcr. 30. ann. l. ſervi ff. de per. & com rei vend. l. 9. in fin ff. de R. V. l. 18. § pen. ff. de damn. inf. l. 7. in pr. ff. eod.*

115. Sunt tamen loci nonnulli, ubi horum aliqui poſsidere

dere dicuntur, quos de naturali possessione pleriq; exaudiunt, quod JCto Paulo ineptissimũ videtur in *l.3.§23.ff.h.t.* Nos vel cum Jacobo Cujac. *lib. 9. obs33.* & Francisco Hotom. *in comm.* verbo, *possidere*, abusivè dictum interpretamur, & esse potius in possessione, quàm possidere revera dicimus: vel hos possidere quidem dici posse: ast non sibi, sed aliis: qui v. non sibi, sed aliis possidet, non ipse, sed is cujus nomine possidetur, solus possidet, & hoc totidem ferè verbis nobis suggerit nobilis illa *l.18.9. & 10.ff. h t.* Vel denique & hoc respondemus, regulariter & in dubio ex natura horum contractuum vel negotiorum solos locatores possidere, depositores, & similes. At v. si hoc inter utrosq; contrahentes agatur, nihil obesse, cur non domini possidere desinant, & hi possidere incipiant, præter tamen naturam negotii, ex conventione & sic accipi etiam potest *d.l.18.ff. h.t.* quæ interpretis loco adhiberi potest *l. communi dividundo § neq; colonus ff. com. divid. l. videamus § si possessionem ff. de usuc. l. si de eo fundo § 1. ff h.t.* Æmil. Ferret. in *l.3.n.15.ff.h t.*

116. Detinere igitur seu in possessione esse dicuntur, qui nudè rei incumbunt, idq; vel cum animo custodiendi, ut depositarius *l.9.ff. de R.V. l.3.§ 20 ff.h.t.* & sequester, ubi non est dimissa possessio *l.17.ff. depos.* vel utendi, ut commodatarius *d. l.9.ff. de R.V. l.8. & 10.ff. commod. l.3.§ 20.ff. h.t.* & conductor *d.l. 9. l.16 ff. de peric. & com rei vend. l.1. C comm. de usuc. l.2. C. de præs. 30. ann.* Colonus *d.l.1. C. comm. de usuc. l.1.§ 22 ff. de vi & vi arm.* vel fruendi, ut fructuarius *l.5.§ Julianus ff. ad exhib. l.12.ff.h.t. l. 1.§ per servum l 49.ff. eod l 10.§ ult.ff. de adq. rer. dom.* vel conservandi, ut in possessionem missi ex primo decreto *l.3. § ult. l.10. ff h.t.* item ventris nomine in possessionem missi *l. 9 ff de R.V.* vel damni infecti *l.10.ff.h.t. l. prætor ait in fin. ff. de damn. infect.* vel dotis *d. l. 9. ff. de R. V.* vel animo detentandi, ut servus *l. 24. ff. h.t.*

117. Causæ ex quibus adquiritur possessio dicuntur tituli possessionis *in l.13.§ 1.ff. de hered. pet. l.1 ff. pro dot. l. nullo C. de R. V.* item species *in l. 3. § 21. in fin. ff. h.t.* Origo nanciscendæ possessionis in *l.5. & 6. ff h t.* hæ sunt vel justæ, vel injustæ.

118. Ex justis titulis, unus est generalis, reliqui Specia-

les. Generalis est; qui omnibus omninò titulis cohæret, & dicitur titulus pro suo, quo possidet, quisquis ex justâ dominii adquirendi causâ rem nactus est *l.1. in pr. ff. pro suo.* qui tamen & ipse specialis quandoque est.

119. Speciales tituli sunt, pro emptore, pro herede, pro donato, pro derelicto, pro legato, pro dote, pro suo, qui est in iis rebus, quæ cœlo, terrâ, marique capiuntur, quarum possessio cedit occupanti *l. 1. ff. pro suo.* item quæ ex rebus donatis, vel emptis adquiruntur, hoc titulo speciali pro suo possidentur *d.l.2.* Comprehensi sunt hi tituli specialibus tit. *lib. 41. ff. & C.* Sunt autem plures commemorati in *l. 3. 4. & seq. ff. de Public.* ut, pro soluto *d.l.4. ff. de Publ. l. pro soluto 46. ff. de sol.* qui tamen quibusdam generalis est: Pro cesso Ulp. in fragm. *tit. 19. l.33. §3. ff. de usuc.* Pro judicato *l.3 in fin. ff. de Publ. in rem act.* Pro adjudicato Ulp. dicto *t.19. l.7. in pr. ff. de Publ.* Pro jurato *l.13. § Julianus 1. ff. de jurej.* Pro transacto *l. ex causa 8 C. pro empt. l. cum solus ff. de usurp. & usuc.*

120. His adde novissimos titulos, pro feudo *c. 1. § si quis si de feud. def. cont. lib. 2. feud.* Pro emphyteusi *l. 2. & t. t. ff. si ag. vect. l. 1. & 2. C. de jur. Emphyt.* Pro censu *c. constitutus extr. de relig. dom.* Covar. *lib. 3. var. resol. c. 7. n. 1.* Pro libello Cujac. *lib. 1. feud. tit. 2.* Pro precariâ *c. precariæ 12. q. 2.* Atq; hi sunt tituli legitimi, quibus vel dominii vel quo alio jure possidemus *l. 181. ff. de V. S.* Sunt etiam naturalis possessionis tituli, qui colligi possunt ex iis, quæ dicta sunt suprà *thes. 102.*

121. Injustæ causæ sive tituli sunt, ex quibus injustè & corporaliter possidetur *l. 24. in pr. ff. h. t. l. 31. in pr. ff. de usuc.* ut pro furtivo *l. si fur. ff. de usuc.* pro rapto, pro præda *l. si de re § de eo autem ff. de hered. pet.* pro possessore *l. pro herede §, cum l. seq. ff. de pet. hered. l. 5. ff. h. t. l. 1. § si vir ff. eod.* item titulus pro precario quandoque inter injustos numeratur, in se equidem justus, sed qui non pergat ad judicii vigorem *l. 7. § 4. ff. comm. divid.*

122. De his possessionis causis, duæ veniunt nobis regulæ elegantes notandæ, à veteribus traditæ. Prima est, quod nemo sibi causam possessionis neq; justam in justam, neq; jud[illegible]

in injustam, neq; injustam in justam: neq; naturalem in civilem, neq; civilem in naturalem, neque naturalem in corporalem, neq; corporalem in civilem, neq; corporalem in naturalem: neq; deniq; nudam detentionem, in possessionem, mutare possit. Traditur hæc multoties in *l.3.§ illud l.19. § 1.ff.h.t. l.33. § 1.ff. de usuc. l.2.§ 1.ff. pro hered. l. cum nemo C.h.t. l.23.C. locat.* Rationem ejus reddit Vaudus, ne videlicet aliàs solo animo quæreretur possessio. Limitatur v. in *l.18. l.19 § 1. ff.h.t.*

123. Altera regula generalis & communis omnibus possessionis speciebus, est, quod ex pluribus caussis, puta tamen sibi invicem compatibilibus, eandem rem possidere possim[v], ut pro herede & emptore *l.3. § 4. ff.h.t.* diversum est in dominio *d.l.3.* Res enim non nisi semel nostra esse potest.

124. Atq; hæc de caussis possessionum, formali, instrumentali, & subjecto: reliquum est, ut de materiali & objecto dicamus, quod sunt res.

125. Non una verò est rerum omnium adquirendarum ratio. Aliter namq; res nullius in bonis: aliter, quæ sunt in patrimonio privatorum, adquiruntur. Illarum propriâ autoritate fit occupatio *l.1.§ 1.ff h.t.* harum non sine facto domini transfertur justè possessio *l. id quod nostrum ff. de R.I.*

126. Aliter adquiritur rerum peculiarium possessio nobis videl. & invitis & ignorantibus, ut supra *th. 106. & seq.* satis est monstratum. aliter v. cæterarum rerum, vid. non nisi nobis volentibus *l.1.§ item adquirimus ff.h.t. l. quicquid 4. l. peregrè 44. § 4 ff. eod. l. justo § ult. ff. de usurp.*

127. Aliter possidentur res singulæ: aliter universæ *l. qui universas 30. in pr. l. eum qui ædes ff.h.t.*

128. Aliter & diversimodè est corporum unitorum, connexorum, & disjunctorum possessio: indicantur hæc tria corporum genera & distinguuntur scitè in *l. rer 30. in pr. ff. de usuc.* De corpore unito, qualis est fundus, & cæteræ res, quę uno spiritu continentur, non residet ulla dubitatio, apprehensione unius partis, totum adquiri, dummodo mens & cogitatio in toto consentiat *l.3.§ 1.ff.h.t. junctâ l.1 § 38. ff. de vi & vi arm.* cui tamen non adversatur *l. 18. § fin. ff.h.t.*

129. De

129. De altero genere corporis connexi, quod ex contingentib. inseparabiliter tamen accessoriis constat, idem ferè est judicium. Possessio n. continenti possidetur etiam contentum: & possesso principali, videtur etiam apprehensum accessorium. Unde quod per alluvionem fundo accessit, cum ipso fundo possidetur *l. 30. § alluvio 3. ff. de adq. rer. dom. § 20. Inst. de rer. divis.* & datur eo nomine Publicianum judicium *l. 11. § 7. ff. de Publ.* & castro seu domo apprehensâ, omnes pertinentiæ videntur apprehensæ *l. si ego § plane ff. de jur. dot.* & argumento *l. si stillicidij 8. in fin. ff. quemadmodum serv. am* Idem quoq; est in reb. in corporalib. argumento *l. 1. § fin. l. ult. ff. de off. ejus cui mand. est jurisd. l. imperium 3. de jurisd.*

130. Diversa est corporis disjuncti ratio, quod videlicet distinctis constat capitibus & distantib. invicem *d. l. 30. ff. de usuc.* horum sicut distincta est usucapio ita & possessio *d. l. 30 § 2. ff. de usuc.* & proinde unius apprehensione, reliqua non possidentur: sed sicut natura & situ sunt disgregata, ita & distinctam requirunt apprehensionem.

131. Unde videre est, tota die contingere, ut quibus ducatus, comitatus, Episcopatus, invectura vel successione, vel electionem deferri solent, comites, episcopos, duces, singula castra, singula oppida & villas circum equitare, quod non sufficiat in taliter separatis principalis vel majoris partis occupatio. Zas. *Consil. 10. n. 6.*

132. Quædam deniq; res verè & propriè, quædam quasi possidentur, ut res incorporales *l. 3. ff. h. t. l. sequitur § [illegible] ff. de usuc.* quale est jus præeundi & honoris seu præcedentiæ in Aulâ Cæsareâ vel comitiis imperii. vide Geil *lib. 1. obs. 21. in fin.* quædam omnino possideri non possunt: ut sunt res commercio hominum exemptæ *l. 23. § fin. ff. h. t. § 1. Inst. de inut. stip.* ut sunt res sacræ, sanctæ religiosæ, liber homo *l. 30. § 1 ff. h. t. § [illegible] Inst. de R. D. l. 83. § 5 ff. de V. O.*

133. Vere possidentur res corporales *l. 3. ff. h. t.* mobiles vel soli, *d. l. 3. § 13. ff. eod* vel se moventes *d. l. 3. § 16 ff. eod.* & hæ quidem vel in solidum vel pro parte sive notâ, sive ignota *l. [illegible] ff. h. t.* pro diviso vel indiviso *l. locus 26. in fin ff. h. t. l. [illegible]*

ult. ff. de usuc. quia & hæc intellectu certa est *l. 26. l. 43 ff. h. t.*

134. Incerta autem pars quia nec tradi, nec capi, neq; possideri potest *d. l. 26. ff. h. t.* Incerta verò est, quæ possessuro ejusque animo plane incerta est, quæ, ubi & quanta sit, plane ignoratur *l. 43. ff. eod.* sive sit divisa sive indivisa. Thesaurus ita demum possidetur, si loco moveatur *l. 3. § Neratius ff. h. t.*

135. Hæc ideo de possessionis adquisitione latius, quoniam in ea maxime consistit possessionis cognitio. Parum tamen est jus nosse, nisi quomodo quæsitum conservetur notio quoque sit argumento *l. ult. ff. de ll.* ideoque de possessionis continuatione ejusque effectu, & quæ huic affinis est, probatione paucis & dilucidè agendum.

136. Continuatur verò possessio vel retentione vel accessione argumento *l. 3. § 7. ff. h. t.* juncta *l. 13. § 1. ff. eod.* Non autem sicut possessio non nisi animo & corpore adquiritur; ita & utrumque in ejus retentione concurrere necesse est, ast sufficit solus animus *§ possidere Inst. d. interd. l. saltus ff. h. t.* Facilius enim retinetur, quam adquiritur possessio *l. licet C. h t.*

137. Potest sine corpore animus possidere: corpus remoto animo non potest. Unde qui corpore egreditur de fundo, retinet possessionem animo, etiamsi alius ingressus fuerit *l. 25. § ult. ff. eod.* & thesaurus sive in proprio sive in alieno recondatur, animo retinetur ejus possessio, quamdiu alius hunc non invasit *l. 46. ff. eod.* Econtra verò etiamsi sis in fundo corpore, constituas autem te nolle possidere, protinus desinis possidere *l. 3. § 6. ff. h. t.*

138. Et hæc regula generalis est tam naturali, quam civili, tàm justæ quàm injustæ & procedit tàm in mobilib. quàm immobilibus. In immobilib. quidem simpliciter *l. licet C. de adq. poss.* In mobilib. verò ita demum, si sint sub custodia nostra, & naturaliter quoties libet apprehendi possint *l. 3. § quod Nerva 13. ff. h. t.* excepto homine *d. l. 3.* qui tamdiu intelligitur possideri, quamdiu à tertio non possideatur, aut in q: possessione libertatis domino se adversarium præparet *d. l. 3. § 10.*

139. Multo verò magis retinemus possessionem animo

& corpore proprio sive alieno *l. qui bona § 1. ff. h. t. § 1. Inst. de interd. l. generaliter ff. h. t.* nihil tamen ad possessionis retentionem facit corpus proprium vel alienum. Unde si colonus vel servus, per quos corpore possidebam de fundo decesserint discesserintve animo retinebo possessionem *l. 3. § 8. ff. h. t. l. si id quod ff. h. t.* licet in eo olim fuerit inter Proculianos & Sabinianos pugna.

140. Et hæc possessionis retentio est, quæ fit in eadem persona. Sed etiam in diversis rectè continuatur, & dicitur accessio, de qua Ulpianus agit in *l. Pomponius 13. § 1. ff. h. t.* quod utilitatis causa receptum est *l. de accessionibus ff. de div. & temp. præscr. & access. poss.*

141. Est verò accessio possessionum continuatio temporum actoris & successoris usucapionis vel præscriptionis causa. Continuatio temporum dicitur in *§ diutina Inst. de usuc.* Unde si medio tempore quis possedit, interrumpitur possessio *l. 13. ff. h. t.* & sine nostro tempore prodesse non potest *l. ult. ff. de præscript.*

142. Reliqua hujus definitionis verba differentiam constituentia facilè colligi possunt ex *d. l. 13. § 1. ff. h. t & d. l. in accessionibus ff. de præscript.* Auctor verò dictus ab augendo *l. 4. § si quis a. & § autoris ff. de dol. mal. except.* est à quo jus causamque habeo ut donatario autor est donator, emptori venditor *d. l. 13. § 1. ff. h. t.*

143. In hujus personâ duo requiruntur. Unum ut revera sit nobis auctor, & rem ex justâ causâ tradat *l. 13. § si quis jussu ff. h. t.* Atque hinc orta est dubitationis causa, utrum venditor possit uti accessione emptoris, re per redhibitionem inemptâ factâ. Videbatur enim redhibitio potius justæ causæ resolutio, quàm causa *d. l. 13. § 1. ff. h. t.* Sed visum est in hac quoque specie venditorem uti posse accessione emptoris *l. si hominem ff. de usuc.* quia & redhibitio venditionis par esse censetur *argumento l. ex empto § 1. ff. de act. empt. l. sed Celsus § 1. ff. de contrah. empt.* hinc patet ratio *l. 13. § 3 ff. h. t.* cur liber homo bona f. serviens, nec possit uti accessione domini in ea

rei

re, quam in servitute domino quæsierat, si postea liber appareat: quoniam nullam ab eo videtur habere causam: neque possit uti accessione autoris sui, quia videlicet possessio non fuit conjuncta, sed medio tempore apud dominum interrupta *l. in usucapione § accessio ff. de div. & temp. præscr.* Alterum quod in auctoris persona requiritur, est, ut ipse juste possederit. Et hoc est, quod dicit eleganter JCtus *in d.l.13. § ult. ff h.t.* Nec vitiosa possessio accedere potest ei, quæ vitiosa non est.

144. De successore in universum non potest definiri, sed sigillatim de unoquoque. Est enim vel universalis sive universi juris: vel particularis sive in rem. De Universali successore tenenda est regula, quæ traditur in *l. 11. ff. de div. & temp. præscr.* quod noceat ei, quicquid defuncto obfuit, & prosit, quicquid defuncto profuit.

145. Unde consequens est, ut mala fides defuncti obstet etiam heredi, non modò quoad accessionem impediendam *l. 13. ff. h.t.* Sed etiam quoad usucapionem de novo inchoandam: etiamsi enim nolit uti accessione ex persona defuncti, non tamen ex sua persona rectè inchoatur, *l. an vitium ff. de div. & temp. præscr.* In quo est deterior conditio successoris universalis, quàm particularis. Rationem pete ex diverso succedendi modo. Ille n. in omnia defuncti jura, tam activè, quam passivè, in personalia & realia sive commoda sive incommoda succedit *l. 22 ff. de usurp. & usuc.* hic non, nisi in realia, & ideo dicitur successor in rem. Et ex contrario ut bona fides defuncti prosit etiam heredi, etiamsi sit ipse in mala fide ex rationis identitate *§ diutina Inst. de usuc.*

146. In rem successor est vel ex ultima voluntate, ut legatarii, vel ex contractu, ut emptor, donatarius, &c: Hi n. omnes utuntur accessione testatoris *l. 13. § sed & legatario ff. h.t.* venditoris *l. 7. § ult. ff. de Publ.* donatoris *l. 13. § 11. ff. h.t.* & non tantum horum tempus proficit, verum & id tempus, quo auctoris auctor, aut venditoris venditor rem possedit *l. in usucapione § 1. ff. de div. & temp. præscr.* imò & tempus, quod fuit ante venditio-

147. De his in rem ſucceſſoribus conſtituitur hæc immota regula. Auctoris mala fides, neque nocet, neque prodeſt ſucceſſori in rem *l. 37. ff. de act. empt. l. 5. ff. de div. & temp. præſcr.* Poterit igitur ex ſuâ perſona rectè inchoare, ſi ſit bonæ fidei poſſeſſor *d. l. 5. ff. de div. & temp.* Quod jus etſi *Nov. 119. c. 7.* ex parte ſit emendatum, ſtrictiſsimè tamen ea accipienda, & in caſibus ibi non expreſsis nihilominus obtinet jus digeſtorum. Bona verò fides autoris indiſtinctè prodeſt ſucceſſori omni. Hic igitur eadem & æqualis eſt conditio ſucceſſoris in rem, quæ univerſi juris. Sic poſt edoctus à Clariſſ. Dn. Præſide ſtatuo pertextus expreſſos in *l. 7. § 12. ff. de Publ. in rem act. l. 6. ff. de itin. act. priv.* Licet plerique & magni nominis JCti diverſum ſentiant propter *d. l. 7. § ult. ff. de Publ. l. 13. § ult. ff. h. t.* quibus, ut fortiter obſtare viſis, quomodo fiat ſatis, in ipſa diſſertatione diſcutiemus.

148. Hæc de acceſsionibus & continuatione poſſeſsionis. Huic maximè familiaris & affinis eſt probatio poſſeſsionis, & quomodo ea legitimè fiat cognitio. Probatur verò poſſeſsio cum ſingularibus: tum communib. aliarum probationum modis.

149. Singulariter probatur poſſeſsio vel ex titulo, vel ex fructuum aut penſionum perceptione *l. 48. ff. de ſolut. l. 20. C. de agric. l. 2. C. h. t.* Menoch. *ret. poſſ. remed. 3. n. 564.* Maſcard. *de probat. vol. 3. concluſ. 1283. & 1180.* vel agrorum cultura argumento *l. 3. § 4. ff. Ut. poſſid.* Menoch. *d. rem. 3. n. 567.* & quibuscunque actibus poſſeſſoriis *l. 2. C. h. t.* ut eſt lignorum deciſio, beſtiarum pactio, venatus *d. l. 7. § 12. ff. ſol. matr.* Maſcard. *d. vol. 3. n. 1189.* ſolutio & exactio collectarum. Menoch. *d. remed. n. 568.* Plantatio, ſatio, inſiſtentia cum animo poſſeſſoris *l. 3. § 1. ff. h. t.* Menoch. *d. remed. n. 561.* Maſcard. *concluſ. 1201.* & ſimiles.

150. Communibus etiam probatur aliarum probationum modis poſſeſsio ut re judicata, teſtib. inſtrumentis, fama, & memoria Weſenbec. *in parat. hic.*

151. Ante amiſsionem poſſeſsionis præſtat quoque effectus & commoda poſſeſsionis recenſere, ſecus atque omnes

dii,

alii, qui minus rectè hæc ad imum possessionis tractatum consarcinant. Cessante enim causa cessat quoque causatum: unde maximè hæc debent cohærere cum sua causa adhuc integra, quæ est possessionis continuatio.

152. Effectus & commoditates liceat prope infinitas hinc inde sparsos colligere: nostri instituti est, præcipuè conducibiles & nobiliores summo quasi indice indigitare, divisuri eas in generales, hoc est, summo possessionis generi omnibusque ejus speciebus competentes: & speciales, ex una aliqua specierum redundantes.

153. Primus effectus generalis est, quod omnis possessio, etiam vitiosa aliquid juris tribuat & prosit adversus extraneum vi solius possessionis *l. ult. ff. h. t.* & ideo competit ei interdictum Uti posidetis vel utrubi *l. 3. § creditores ff. ut. possid.* in interdictis namque non de jure, sed de facto disputatur Bald. in *l. ordinarij n. 7. C. de R. V. l. 2. ff. Ut possid. l. deniq. ff ex quib. causis maj.* & in pari causa melior est posidentis *l. 128. ff. de R. I.* Covarruv. *2. var. res. 19.*

154. Secundus effectus generalis est, quod nemo regulariter sine causæ cognitione possessione sua sit privandus *l. extat. ff. quod met. causa l. meminerint 6. C. Unde vi l. 2. C. Ut. ne Princeps l. fin. C. de R. V. c. in literis 1. de rest. spol. c. licet 28. de prabend. in 6.* & sic nec ab exequutione sequestrationis est incipiendum Wesenb. *consil. 48. n. 53. cum seq.* Menoch. de adipisc. poss. *remed. 4. quæst. 447. n. 450.*

155. Tertius effectus generalis est, quod quilibet posit turbantem propriâ autoritate repellere *l. 29. § 1. ff. ad L. Aquil. l. 17. ff. de vi & vi arm.* etiam quandoque dominum *l. 7. C. Unde vi.* Servato tamen inculpatæ tutelæ moderamine *l. 1. C. Unde vi.*

156. Quartus effectus & quidem generalis est, quod

ſeſſionis titulum edere tenetur. Fel. *in l. licet n. 8. & 15. ℣ de ſimon.* quoniam hi omnes præſumptionem ſibi contrariam habent : Licet aliàs regulariter nemo titulum dicere teneatur *l. cogi 11. C. de hered pet.* niſi in hereditatis petitione *d. l 11. l. 20. ff. de int. in jur. fac.*

Quintus effectus generalis eſt, quod omnis poſſeſſor onere probationis relevetur. *l. 14. ff. de probat.* & deficiente in probatione actore, reus abſolvatur, etiamſi nihil præſtiterit *l. 15. & 16. C. de prob.* Menoch. *6. de praeſ. 69. n. 2.* Maſcard. *de prob. concluſ. 1194.*

157. Sextus effectus generalis eſt, quod Clericus judicio poſſeſſorio conventus, fori præſcriptione non gaudeat *l. fin. C. Ubi in rem act. ex. deb. c. fin. ext. de for. comp. Geil. lib. 1. obſ. 37. n. 4.*

158. Septimus effectus generalis eſt, quod regulariter in poſſeſſoriis ceſſet reconventio altiorem rei indaginem deſiderans Dd. *ad auth. & conſeq. C. de ſent. & interloc.* Vide tamen accuratè & noviſſimè hoc axioma limitantem Ampliſſ. & Clariſſ. Dn. Werth. Müllyfort in abſolutiſſimo, de Reconventione, tractatu *poſ. 41.*

159. Speciales effectus, partim ex Civili, partim ex naturali aut utrâque redundantes, commoda poſſeſſoria luculenter laudant. Priores horum duo maxime fructuoſi ex poſſeſſione civili profluunt affatim.

160. 1. Effectus ſpecialis eſt, quod per poſſeſſionem diutinam nobis adjiciatur dominium, ne dominia rerum ſint in incerto, & ut domini excitentur ad vigilantiam & rerum ſuarum curam *l. 3. 25. & t. t. ff. de uſurp. & uſuc. 8. C. h. t.*

161. Alter effectus ſpecialis eſt fructuum adquiſitio § 25. *Inſt. de R. D.* & quidem de induſtrialibus conſentiunt ferè omnes. Cujac. ad Afric. *tract. 7. ad l. 40. ff. de adq. rerum dom.* Donell. *4. com. 25.* De naturalibus verò tantus eſt opinionum conflictus, tam anceps rationum pugna, ut ſubdubites ſæpius, utri cedat victoria. Ego in tam periculosâ arcte duces Præceptores habeo obſervanter ſequendos, JCtos eximios, Dn. Domin. Arumæum. *Exercit. 4. th. 19.* Dn. Præſi-

Ed. Val. Riemerum *Dec. 4. th. 4.* quibus indubiè ſubſcribens, idem aſſero de naturalibus, hos æque cedere b. f. poſſeſſori propter text. expreſſos *in l. 48. in pr. & § 2. ff. de adq. rerum dom. l. 28. ff. de uſur.* & rationes evidentes ex *l. 25. § 1. ff. de uſur. L. 136. ff. de R. I.* Conſumptos equidem irrevocabiliter *l. 4. § 9. ff. fin. reg. § 35. Inſt. de R. D. l. 41. § 1. ff de re jud.* Extantes verò plenò etiam jure *l. 4. § 19. ff. de uſuc. l. 28. in pr. ff. de uſur.* ſed interim *l. 48. in pr. ff. de adq. rerum dom.* hoc eſt revocabiliter *l. 22. ff. de R. I.* In hereditatis petitione & rerum univerſarum fructibus, paulò ſecus res habet *l. 3. in fin. ff. de cond. ind. l. 20. 22. 25. § 11. ff. de hered. pet.* propter rationem ſubtilem, quæ eſt in *l. 40. § 1. & 22. ff. de hered. pet.* Et hæc ſententia adeo munita eſt, ut ſine gravi negotio tela contrà vibrata repercuti poſſint.

162. Tertius effectus ſpecialis eſt quod ex poſſeſſionis apprehenſione in re vacanti ceperit dominium *l. 1. § 1. ff. h. t.*

163. Quartus effectus eſt quod non tantum poſſeſſoria, dentur b. f. poſſeſſori, ſed & petitoria, nempe Publiciana *t. t. ff. de Publ.* item confeſſoria & negatoria *l. uti frui § fin. ff. ſi uſusfr. pet.*

164. Quintus ſpecialis effectus civilis poſſeſſionis eſt, quod relevetur ſuſpicione fugæ, atque adeò onere ſatisdationis *l. 15. ff. qui ſat. cog.*

165. Sextus effectus ſpecialis eſt civilis poſſeſſionis, quod ei detur Publiciana, cui priori rei poſſeſſio ſit tradita, duob. in ſolidum venditæ *l. 6. ff. de Publ.*

166. Septimus effectus ſpecialis eſt, quod conferat jus offerendi debiti *l. 11. § 4. ff. qui pot. in pign.*

167. Plures poſſeſſionis commoditates vide apud Menoch. *6. præſumpt. 69.* nobis ſatis eſt, præcipuas degustaſ-

boni, æmula naturæ argumento *§ 3. Inst. de adopt.* certos adinvenit modos, quibus quidquid oriatur, certos item quibus demoriatur *argumento t. t. Inst. Quib. mod. contrah. ob. & t. Quib. mod. dissol.*

169. Et verò velut in natura corruptio unius est generatio alterius: Ita ferè in jure nostro quibus quid colligatum est, iisdem solet dissolvi *l. 35. ff de R.I. l. 46. & l. 8. ff. b. t.* & quo quid actu interimi, eodem etiam novum generari non infrequens in jure est. Contrariorum enim contrarius effectus, & privationem unius sequitur positio alterius. Unde Aristoteles præter materiam & formam privationem quoque inter rerum principia collocat *lib. 1. Phys. c. 7. text. 66.*

170. Sic consolidatione interit usufructus jure servitutis, qui alias technicè dicitur formalis: & oritur eadem consolidatione usufructus, qui dicitur causalis, jure proprietatis *l. si cum 21. § pen. ff. de except. rei jud. § ult. Inst. de usufr.* Cujac. *ad l. 36. Afric. ff. de usufr.* sic verbis & consensu contrahitur & dissolvitur obligatio *l. 2. ff. de O. & Act. l. nihil tam ff. de R.I.* Re obligamur, re liberamur *t. t. Inst. quib. mod. re contrah. obl. l. prout 80. ff. de solut.*

171. Quo sensu & intuitu eleganter, æque ac verè scriptum extat à JCto in *l. 8. ff. b. t.* quemadmodum nulla possessio, nisi animo & corpore adquiri potest: ita nulla quoque amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est, cui consentit *l. 44. in fin. ff. eod.*

172. Nec verò est sibi contrarius idem Paulus, sed optimè concordans, quando ait in *l. 3. § in amittenda ff. b. t.* Si in fundo sis, & tamen nolis eum possidere, protinus amittes possessionem. Igitur amitti & solo animo potest, adquiri non potest: idem innumeris aliis locis scriptum est, ut in *l. 1. § 4 l. 18. l. si quis vi 17. § 1. l. si me in vacuam 34. l. peregrè 44. § fin. ff. b. t. l. 30. § item quod 4. eod.*

173. In d. namque *l. 3. § 6. ff. b. t.* traditur modus & regula generalis, quo facto à possessione recedatur. In d. verò *l. 8.* docetur quid hoc factum, seu destinatio deferendi operetur. Verum itaque est, quod dicitur *in d. l. 3. § 6.* solo animo,

hoc

hoc est, solo animi facto & destinatione deserendi amitti possessionem: neque minus veritati consonum, quod in *l.8.* asseritur, possessionem non amitti, nisi in qua utrumque in contrarium actum sit: hoc est, nisi & à corpore & ab animo recesserit.

174. Agitur enim utrumque in contrarium, & recedit à corpore & animo possessio in totum, eâdem unius animi opera, qui dominantis hic vicem obtinet, & simulatque hoc agit, ut possessionem dimittat, sive à corpore sive ab animo fiat initium, decedit possessio quoque à corpore, quod est ministri loco. Obrecht. *in meth. poss. tract. th. 684. & 688.* & consentit ferè Donellus *5.com.14.* Aliter Godofredus ad *d. l. 8.* & Cujac. *ad l. 153. ff. de R.I.* interpretantur, sequuti Bulgarum & Placentinum apud Harmenop. *lib.2.Epit.* aliter Petr. Mindan. in comm. suo Synnopt. de poss. Diversimodè etiam, nec tamen improbabiliter etiam ab his secedit Clariss. Dn. Præses Præceptor mihi nullo non observantiæ obsequio honorandus *dec.9. th. 9.*

175. Ex quo rectè infertur furiosum desinere possidere non posse, quoniam animum deserendi habere nequit *l. si is qui 27. ff. h.t.* & similiter nec pupillum, sine tutoris autoritate *l. pupillus 11. ff. de adq. rer. dom.*

176. Animus hic seu voluntas deserendi est vel spontanea vel coacta argumento *l.3. § 9. ff. h.t. l. clam. possidere 6. § qui ad nundinas l. si quis 17. § differentia ff. eod. l. 21. § pen. ff. quod met. causa.* Dissent. Donell *5. comment. 12.* qui regulam in *l. quemadmodum ff. h.t. & l. ferè ff. de R. I.* restringit ad eam tantum amissionem, quæ fit facto & destinatione nostrâ spontaneâ.

177. Spontanea voluntas arguitur & declaratur vel verbis vel facto. Verbis declaratur, ut si quis expressim dicat & constituat se nolle amplius possidere, protinus receditur à possessione absque ullo alio facto *l. ult. ff. de R.V. l.3. § in amittenda § & si alii 9. & l.17. § 1. ff. h.t.* quod secus est in dominio *l.20. C. de*

possessio *l. 18. § 1. ff. h. t. d. l. 17. § 1. ff. eod.* nec refert quod non transferatur, cum nuda voluntas traditione declarata possessioni amittendæ sufficiat. Illud n. ridiculum est dicere, quod non aliter vult dimittere, quam si transferat: imò vult dimittere, quia existimat se transferre *l. quod meo 18. § si furiosi ff. h. t.* vel conditionali: & tunc existente conditione amittitur possessio *l. 38. § 1. ff. h. t.*

179. Item arguitur vel naturali traditione, quæ est in rebus mobilibus vacuæ possessionis de manu in manum datio, ut pignoris *l. 36. cum seq. ff. h. t.* Vel civili, in mobilib. & immobilibus, cum quid loco veræ traditionis intervenit, veluti in vacuam possessionem inductio *l. fundi venditor. 31. ff. h. t.* Constitutum *l. 18. ff. h. t.* Conductio rei à b. f. possessore ante detentæ; in promptu est, quod possidere desinat *l. 28. ff. h. t.* Conducens n. rem dominū possessorem facit *l. 19. ff. h. t.* Sed has & plures civilis traditionis species collige ex supra dictis apertius sub *th. 79. & seq.* Est n. traditio modus adquirendæ & amittendæ possessionis communis.

180. Item spontanea voluntas arguitur ex mutatione rei possessæ, ut manumissione *l. 30. § 4. ff. h. t.* illatione mortui, ut si locus fiat religiosus, aut eximatur aliās hominum commercio *l. 30. in pr. ff. h. t. l. 6. § 2. ff. eod.*

181. Vel ex mutata conditione & statu possessionis ut si quis transeat in alienam potestatem *l. qui universas 30. § 1. ff. h. t.* ingressu monasterii *auth. ingressi C. de S S. Eccl.* qui n. vult antecedens, velle quoque videtur necessarium consequens argumento *l. illud ff. de adq hered.*

182. Coacta seu meticulosa voluntas, variè item deprehenditur: aut enim adimitur per vim fatalem, aut vim humanam animus possidendi. Fataliter adimitur morte, quæ omnia solvit *l 4. ff loc.* & inundatione diuturna *l. 3. § 17. ff. h. t.* non ad paucos dies *l. 30. § 3. ff. h. t.*

183. Humanitùs adimitur dejectione vel subtractione *l. 12. ff. de usuc.* vel violentiæ suspicione, ut si quis vel vi dejicitur, vel reversus non admittatur, quod suspicetur se repelli posse *l. 3. § in amittenda ff. h. t. l. si id quod possidemus 25. l. item possi-*

poſſidere 6.l etſi nolit 7.d.l.3.§ ſi quis nunciet ff.h.t. Sed tamen ab extraneo poſſeſſione dejici requirimus. Nam ſi is qui poteſtati noſtræ ſubjacet, ut ſervus, nos dejiciat, per eum nihilominus retinemus poſſeſſionem *l.rem quæ nobis 15.ff.h.t.* Item ſpecificatione, ferruminatione ſimilive alio modo *l.30.§ 4. ff.b.t.§ 7.& ſeqq Inſt.de R.diviſ.*

184. Item adimitur invitis nobis poſſeſſio captivitate *l.30.§.3.ff.b.t.l.23.§ 1 ff. eod.* qui enim ab alio poſſidetur, ipſe nihil poſſidere poteſt *l 21.ff.ad L.Jul de adult.* autoritate judicis, quod fit vel immittendo, vel exequendo *l. qui univerſas 30. § 2. ff.b.t.l.ult.ff. de R.V.*

185. Subtractione adimitur invitis nobis animus poſſidendi, cum intervertitur nobis rerum mobilium poſſeſſio, ut ſub cuſtodia noſtra eſſe deſierint *l.3.§ Nerva ff.h.t.* hoc eſt, ſi apprehendere, quotiescunque libuerit non liceat: idque fit vel doloſè, ut ſi furto res auferatur *l.15.& 47.ff.h.t.* aut repoſcenti rem depoſitam ſine juſta & rationabili causâ nō reddatur *l.ſi quis rem 20.d.l.rem quæ 47.ff.h.t.* Vel etiam caſu, qui cauſatur plerumque ex negligentia noſtra, ut ſi pecus aberraverit, ne inveniatur, licet non ab alio poſſideatur *l.3.§ nam pecus ff.h t* aut vas exciderit, ut non inveniatur, protinus deſinit poſſideri *d.l.3.* aut feræ beſtiæ in libertatem naturalem revertantur *l.3.§ item feras ff.h.t.* niſi ex conſvetudine ire & redire ſoleant *d.l.3 § quidam ff eod.*

186. Et generaliter rerum mobilium omiſſa atque neglecta cuſtodia veteris poſſeſſionis damnum adferre ſolet *l.ſi rem mobilem 47.ff.h.t.* At ſervus retinetur, donec revertendi animum habuerit, vel ab alio non ſit poſſeſſus *l.Pomponius 13. ff.h.t.* cujus duplicem ex legib. animadverti rationem 1. eſt quia nec aliarum rerum poſſeſſionem nobis intervertere poteſt. E. nec ſui. Altera ratio eſt, ne ipſe pro libitu nos privet poſſeſſione *l.15.ff.eod.* quæ tamen potius eſt rationis ratio. Si ini-

verificantur, tam injustâ, quam justâ, tam naturali quam civili: quælibet n. harum vel corpore & animo, vel animo solo, dum tamen utrumque in contrarium agatur, amittitur. Cæteris etiam paribus porrigi concinnè possunt ad quasi possessionem rerum incorporalium, dum tamen quævis impedimenta ibi pro violenta dejectione accipias *c. fin.* X *de rest. spol.*

Et hæc pro synopticâ Instituti ratione & exilibus ingenii possessiunculis de intricata & fructuosa tamen possessionis materia, veritatis & exercitii studio differuisse sufficiat. Monitus meliora sequar. Faxit summus ille JEHOVA, cui universa subsunt, & qui nos possessione integritatis sanctissimâ lapsos, pretiosissimoque sangvinis benedicti lytro redemtos Actor. 20. vers. 28. 1. Petr. 1. vers. 19. pro emptore possidet, ne possessione nostra redintegratâ, pretiosâ, Dominum nostrum gratiosissimũ intervertamus: sed pietate, timore & integritate mordicus conservemus, adversus omnes mundi & Satanæ impetus violentos, ut tandem beatissimam regni cœlestis possessionem cum omnib. cœlicolis gaudentes possideamus.



Ad præstantiss. Dn. Resp.

Raros deprendes, quos vera scientia juris,
Et legum & Canonum, possidet in solidum.
Tu, Meurere, *probè quæ sit* possessio, *quales*
Ejus sint species, quidq; operetur, habes.
Non dubium est ergò, quin præmia justa merebit
Hoc studium, Themidi quod benè sponte locas.

Amoris ergò

VALENTINUS RIEMER
D. & P.

